





1
7
89







OCTAVII FERRARII

EPISTOLARVM

Item formularum ad capienda Doctoris Insignia & Inscriptionum.

PARS ALTERA.



PATAVII, MDCLXVIII.

Typis Heredum Pauli Frambotti. *Superiorum permissu.*



Illustriss. atq; Ampliss. D.D.

FEDERICO BORRRMÆO

PATRIARCHÆ ALEXANDRIÆ ad Heluetios Pontificis Maximi Legato.

Octauius Ferrarius F.



Vod te à summis Christianæ Reipublicæ negotijs, curisque grauissimis intempestiue abducere non vereor, audaciam pietas excusabit. Quid enim dicam cultum, aut obseruantiam? Cum illud ipsum

grauiſsimum, ac ſanctiſsimum nomen pietatis, tuis, ac tuorum meritis erga me, leuius eſſe videatur: cumque fortunæ meæ cauſas, atq; incrementa, & qualecumq; nomen genti tuæ totum feram acceptum.

Magnus ſi quidem patruus tuus, ſeculi, ac purpuræ ſingulare decus, ille templorum omnium per Inſubriam conditor, aut reſtitutor, diuorum numerum aucturus, niſi patruelis occupaſſet, eidem ſanctitate atque innocentia, ac profuſis in egenos opibus haud impar, reparatarũ literarum beneficio, regia munificentia, & grandibus auſis etiam maior habitus, cum ingeniorum fœturam inſtitueret, ad obſcuritatem quoque meam reſpexit, ac fa-

milia.

miliaritatis ſacris initiatum, in ſpem liberalioris fortunæ excitauit.

Idem excolendo ingenio non clariſsimos modo doctores admouit, ſed in tanto culmine, ex hero magiſter, grauiſsimis monitis animum compoſuit, virque emendando humano generi natus, purè, caſtèque ſcribendi præcepta identidem tradere non eſt grauatus, ac ſanctiſsimo contubernio, eo prouexit, vt decurſu temporis tanti Herois diſciplinam Venetæ maieſtati approbare potuerim, in ea vrbe, ex qua maiores tui non Orbem modo rerum geſtarum gloria repleturi, ſed Cœlum clarius facturi, prodierunt.

Itaq; prope ſacrilegium arbitratus ſum, te, qui & grande nomen,

&

& virtutum ſeriem iuvenis impleſti, ingentium meritorum teſtem ſubtrahere, ac ſtudiorum fructum, qui illius memoriæ debetur, tibi non repræſentare: cuius dignitas, atq; amplitudo, patrui, rebus humanis peſſimo publico erepti deſiderium lenire poteſt. Obuerſis in te, non aulæ modo Romanæ, ſed gentium omnium, quaſcunque adiſti, oculis, ac ſtudiis: cum illius, non habitum modo oris, lineamentaque, ſed animi vigorem, & ſublimitatem in te redditam omnes fateantur: tuque cũ eodem grauitate, magnificentia, & conſiliorum altitudine decertans, breui effeceris, vt ad conciliandum mortalium fauorem, minimũ momentum ſit, patruus incõparabilis.

Te.

Teſtantur id ſex Vrbium, per Pontificiam ditionem, præfecturæ, iuventæ rudimenta, vnde ſenes exẽplum peterent, prudentia, integritate, & flagrantiſsimis populorum ſtudijs, nobilitate: par Melitenſis expeditionis cura: aucta in immenſum difficillimis temporibus Helueticæ Legationis claritudo: præcox tantis rebus ętas, matura Senatui, niſi patruelis, virtute geminus, præiuiſſet.

Sed, ne qua non laude patruum referres, etiam eius dicendi vim, ac Latinæ Orationis maieſtatem expreſsiſti, quę mihi nuper in tuis literis, non iucunda ſolum, ſed admirabilis viſa eſt. Perge igitur gentile bonum excolere, ac literarum patrocinio humanum genus demereri.

reri.

reri. Nam etſi mirum ſit, tanta pa-
trui imagine gloriam tuam non ob-
ſcurari: hac vna tamen fouendorum
ingeniorum laude, te rerum eius
fulgorem ęquaturum boni omnes
augurantur, & vouent. Vale.

Patauij Cal. Aug. MDCLXI.







OCTAVII FERRARII Epistolarum PARS ALTERA.



OCTAVIO FERRARIO S. P.



QVamuis, Vir Excellentissime, & ex scriptis, & ex communi fama iam olim te cognouerit, plurimique fecerit Regina Serenissima; multó tamen magnificentius de te cœpit sentire, post quam ei, quam nuper admodum Venetijs tuis recitasti reddita est Oratio. Legit eam auidissimè, ingenium facundiamque tuam non mediocribus extulit laudibus, pluraq; ni fallor dixisset, nisi argumentum, & proprius vetasset pudor. Putaui hactenus illam inritas præbere aures se laudare cupientibus, satis id colligere poteram ex innumeris cùm aliorum, tum præcipuè Germanorum panegyricis, qua prosa, qua versu, quos tantum abest vt benigna vnquam fronte susceperit, vt ne sine nausea quidem adspicere potuerit, prorsus ac si puderet se a talibus panegyristis aut

coli aut magnifieri; Tua verò Oratio cum mirifice placuerit, eò me deduxit, vt credere incipiam posse tali modo celebrari incomparabilem Reginam, quo ipsa quoque delectetur, nempe si à te tuiue similibus, si qui sint, laudetur, ita enim fiet, vt si forsan ei sit iniucundum proprias audire laudes, ad eas tamen audiendas & verborum pulchritudine & sermonis splendore velit nolit inuitetur. Non est itaque quod existimes Serenissimam Reginam auersari Italos, aut eos alijs posthabere gentibus, cum ex omnibus ijs, qui de se aliquid dicere aggressi sunt, nemo hactenus sit cui te non longè præferat. Neque de te solo, verum & de omnibus Italis, scias optimam sapientissimamq; Reginam id statuere, si sit aliqua natio quæ ingenio & eloquentia veteres istos rerum dominos quam proximè accedat, illos esse eorum nepotes, qui eadem atque illi vescuntur aura, easdemque quas illi terras, atque vrbes inhabitant. Si verò luculentius quæras testimonium animi incomparabilis Christinæ erga Italos, hoc habeas velim, illam execrari arma veterum suorum Gothorum, vtpote quæ non minus literis quam imperio olim exitiosa fuere longissimèque abesse, vt auorum hac in parte gesta aut probet, aut imitari velit, etiamsi maximè posset, quin potius hoc tibi affirmare audeam, illam sceptrum ipsum & diadema suum libenter esse posituram, si eo veterem Romani nominis gloriam & maiestatem posset redimere. Hæc mens, hic animus est & affectus Serenissimæ Reginæ erga Italos. Quod si etiam nosse velis quo pacto erga te sit animata, scias quam optime & beneuolentissimè. Iussit me vt gratias tibi suo nomine agerem maximas pro tam eleganti tam docto & facundo scripto, quo laudes eius, nullis licet præeuntibus suis erga te meritis, in tam illustri orbis loco celebrare non dubitasti. Quamuis autem vel solam Serenissimæ Reginæ voluntatem quocunque tibi munere cariorem esse existimem, voluit tamen & alio signo suam erga te beneuolentiam testari. Proficiscenti itaque ad vos Nicolao

Heinsio

Heinsio torquem addidit aureum, quem tibi suo nomine tradet. Patri ille nunc suo in Hollandia adest, sed quamprimū inde in Italiam se conferet. De me verò ita habeas velim, licet nunc iustissima videatur occasio adfulsisse, qua pro antiquis illis tuis erga me beneficijs condignas tibi reddam gratias, nolle me tamen id facere, ne videar iussis tantæ Reginæ priuata mea voluisse permiscere negotia. Alio vt spero tempore abunde id præstare potero. Quam interim honorifice semper de te senserim, testis erit Heinsius noster. Nunc verò hoc tantum nescire te nolim, auidissime me expectare occasionem, qua quanti te faciam tandem aliquando ostendere tibi possim. Vale vir Excellentissime.

Stocholmiæ cIↄIↄcLI. IV. Maij.

Tuo tuo merito.
Isaacus Vossius.

ISAACO VOSSIO V. C.
S. D. Octauius Ferrarius.

CVm Christinam Augustam laudibus ferre ausus sum, veniam me impetraturum speraui, quod templis non arcerentur, qui simplex, atque inconditum carmen puluinaribus inferrent. Nunquam tamen ita frontem perfricui, vt descensuram huc heram, atque aures gentium omnium preconio imbutas nugis meis commodaturam crederem. Grāde pretium suscepti qualiscunque laboris mihi videbatur si maiora viribus aggresso impune fuisset, atque Orbe toto laudibus eius personante inter mille supplicum vota latuissent & preces meæ.

Sed postquam ex literis tuis intellexi incomparabilem Reginam non modo non adspernatam laudes suas prophano ore concipi, vt eruditos quoque oculos ignobili scripto admouerit, Regali munere ornarit, verbaque auro rependerit,

derit, & quod auro contra carum est scriptum illud clemen-
tissime aspexerit, hoc adeo animum meum confudit ac per-
culit, vt totus rubore suffusus, vixque mentis compos bene-
ficij magnitudinem non capiam, atque exundante lætitia,
nec quid scribam, nec quas laudes, gratesque expediam sa-
tis sciam.

Verum tam Deorum, quam Regum, qui proxima potesta-
te Deos referunt peculiare est, quum plura mortalibus præ-
stiterint, hoc ipso beneficiorum magnitudo constet, quod
persolui non possint, satisque sit, si intelligantur. Et quem-
admodum Dij ipsi nō possunt singulis prodesse, quin ad vni-
uersos beneficium redundet: ita Reginæ dijs æquata pote-
stas, dum me tot principalis munificentiæ bonis perfundit
ac beat, Italiam totam prolixa, ac pene diuina Regij animi
testificatione sibi deuinxit. Vix dici potest, quantum ea res
nostrorum hominū studia arrexerit, qui sicut non inuident,
literas omnes ac disciplinas ad vos istuc confugisse, viden-
que sibi extra Italiam, ac penè Orbem quærendum esse in
quo ingenium ac facundiam exerceant: ita certatim adnitū-
tur vt in Augustæ cultu, ac veneratione reliquis gentibus
haudquaquam concedant.

Quod ad me attinet cum ipsam literis compellare non au-
sim, liceat mihi præstantissime Vossi te sequestro, atque in-
ternuntio vti. Obsecro te, atque obtestor, per quidquid sa-
crum, ac sanctum literæ nostræ, Musæque habent, vt vota
mea, cunctaq; venerantium officia Reginæ. Maximæ vesti-
gijs sistas, ipsi pollicearis me aureo nexu obstrictum adnisu-
rum esse omni obsequio, sed potius pietate, vt tanto eius
munere ac iudicio ne indignus videar.

Hoc præsentes testor hoc posteros meminisse volo: para-
tus interim non atramentum modo, sed ipsum sanguinem
profundere. Deum veneror, vt tanto bono diu frui possi-
mus, laudesque eius, ac magni parentis Gustaui non breui
scripto, sed iusto opere complecti.

De

De te vero mi Voſſi, tuiſque ingentibus meritis ad te plura alias perſcribam: ſimul de rebus ſtudiiſque meis. Proluſiones ad vos perlatas credo quibus ab maximi parentis tui laudibus commendationem paraui. Pars altera de re Veſtiaria vertente autumno, ſi Deus annuerit, publicabitur. Quod illi, quos innuis Panegyrici editionem impedire conatiſint haud facile crediderim, quum pari fide, ac veneratione, qua reliqui mortales Reginam proſequantur. Alios homines, non ita mirum, qui bonas literas exſcindere coniurarũt, quibus nihil placet, niſi quod cellam & barbariem oleat. Vale, & me vt facis ama.

CHRISTINÆ AVGVSTÆ.

VT te ſcripto venerari auderem impulit me Guſtauus Banner magni Imperatoris magnum incrementum. Qui veterum ducum exemplo adoratis in procinctu muſis, dum ingeſtos recuſanti Gymnaſii Patauini faſces moderatur, prudentia ac dexteritate annis maiore, ſplendore, ac generoſitate priuatum modum ſupergreſſa, flagrantiſſima Principum, ac populorum quos adiuit gratia Suecicum nomen egregie tutatus, magnitudinis tuæ famam in longum extendit.

Quem cum Venetus Senatus meritorum acerrimus æſtimator equeſtri primum dignitate raro ciuilis, ac militaris virtutis præmio, mox & Tribunatus titulis inſigniret, plura tamen ipſi deberi profeſſus eſt. Idem mihi princeps, auctorque fuit, vt ſacra laudum tuarum prophanus attingerem, diuque hæſitantem, & obſcuritatis meæ ſecreto gaudentem protraxit, & confirmauit, nec vno liberalitatis exemplo Regiæ munificentiæ proluſit.

Dum tamen non ſatis mentis compos trepide calamum regerem, acceſſit commodum ex aulæ miniſterio Alexander Cecconus, qui me nomine tuo Auguſta, quod etiam nunc

cogitans

cogitans erubesco, inuisit, laudumque tuarum, sed præcipue facilitatis in tanto culmine omnibus obuiæ, commemoratione beauit, vt diem integrum quo apud nos fuit ab ore narrantis attonitus pependerim. Vt penè me puduerit editæ laudationis, cui tot bona locorum longinquitate, ac famæ magna quæque obscurantis inuidia subtracta videam. Sed quæ Panegyri negata sunt, Annalium memoria cum fide explebit.

Superuenit eodem tempore lętitiæ causas cumulante fortunâ magnum literarum columen, ingensque huius æui decus, par rebus tuis vnicus vates, nec paterna claritudine minor, & castissimo contubernio tuo dignus Nicolaus Heinsius, Regiæ liberalitatis sequester, cuius inusitato, hoc seculo, his moribus, exemplo Italos omnes tibi deuinxisti.

Ita mihi vt vno tempore tres tibi clarissimos viderem, & animas queîs candidiores terra non tulit colerem superi dederunt. Vt nihil supersit aliud, quo me satis vixisse putem, quam vt augustum os tuum contra tueri aliquando ius, fasq; sit, & ad inauditæ seculis omnibus virtutis aram vota numerare.

Interim quoniam semel frontem perfricui supplex te veneror Augusta, vt sacros vultus tuos, gentibus verendos, quos auro radiantes Heinsius detulit lineamentorum coloribus expressos transmittas, in quos Italia vniuersa, sed hæc præcipue Vrbs omnis literaturæ domicilium intueatur, quæ nobiliorem hanc Hermathenam Gymnasio suo dicabit. Hæc contemplatio penè reddit immemorem, me cum Augusta loqui, apud quam sicut apud deos breui prece defungi satius sit. Itaque abstineo, dumque ineuntis anni auspiciis ex formula, *vitam tibi prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum* precor, cunctis simul mortalibus, præcipue literis ac disciplinis felicitatem auguror. Vale.

Chri-

CHRISTINÆ AVGVSTÆ.

ET ſi te Domina non ſemel ſcripto venerabundus adierim, quia tamen nullas a me tibi redditas literas, licet eas viris ex Comitatu tuo præcipuis curandas dederim, ab Zacharia Grimano iuuene ornatiſſimo intellexi: auſus ſum denuo te religioſe compellare, Regnique ac literarum curis, quibus Orbem fatigas intempeſtiue obſtrepere. Non poteram enim ſine piaculo incredibilem tuam liberalitatē, atque inauditam in tanto culmine facilitatem diſſimulare, qua laudes tuas prophano ore conceptas non modo boni feceras, ſed magno auri pondere plumbea dicta, atque humiles ſonos rependeras:

Præterea tenues ingenij fœtus adieceram acerrimum iudicium tuum trepide ſubituros, interim dum pars altera de te veſtiaria tibi deſtinata expungeretur. Ea ſic perijſſe, aut mala manu intercepta eſſe non ſine rubore diſcrucior. Noua nunc te venerandi cauſa oblata eſt: poſtquam Germanica Natio, quæ apud nos bonis artibus ingenium excolit Regiam munificentiam prouocat, vt quod vbique præſtas hîc quoque Muſas ab inopia defendas.

Contendit a me Iuuentus florentiſſima, vt poſtulatis ſuis apud te ſuffragarer. Optimè meritæ negare officium non potui, quæ per tot annos literarios cœtus celebrans mihi famam conciliauit, mihi aures hominum aperuit, ſicut modeſtiæ, indefeſſi laboris, induſtriæque ſingulare exemplum eſt. Quare non improbe ſperare viſus ſum precibus meis futurum aliquem apud te locum, quæ non ſolum annuere votis, ſed ſpes ipſas ante vertere ſoleas, quoties de producendo Muſarum pomærio conſuleris. Si te Italus homo pro Germanis tuis rogans exorauerit, cum Germanis officio certabunt Itali, nec iſti illis vnquam pietate in Dominam concedent. Interim Deum veneror, vt te terris ac literis commoda-

modatam sero astris vendicent. Vale.

CHRISTINÆ AVGVSTÆ
Germanicæ Nationis nomine.

GErmanica iuuentus, quæ ad capiendum ingenij cultum in Italiam confluit, ac Patauium Italię Athenas celebrans studia æmulatur, per tantum æui nullam in ea vrbe sibi, ac musis sedem, certosq; lares prospicere potuit: sed semper aduena conducere tenebras, & cænacula, atq; ad alienum arbitrium mutare domos, & transferre subinde penates exul, & vaga nequaquam ex gentis dignitate cogitur. Ipsa Bibliotheca musarum patrimonium, concilium gentis, ac iuuenilis Senatus pro diuersorio mercedem pendit, nec vnquam publicæ rei tractandæ locus præbetur gratis.

Ea res iuuenum studia accendit vt collatitia stipe domum emerent, qua patrij foci, ac penetrales Germaniæ Dij veluti sacrario reciperentur. Sed maiore animo quam viribus res concepta est, nisi tu Augusta, præses studiorum dea, & renascentium per Germaniam beneficum literarum sidus, magnum literarum miraculum cępta secundes, eius liberalitatis exemplo, quæ Orbem obstupefacit, & omnium gentium linguas in laudes tuas soluit. Id templum Iunoni tuæ, publico studiorum genio vouimus, eodem effigiem tuam sacrabimus, vti non tam Apollo Palatinus, quam sanctior Hermathena musarum delubrum augustius reddat. Sic tu eadem opera Germanos beneficio, Italiam exemplo tibi obstringes. Vale castrorum mater, ac literarum.

FRIDERICO II. DANORVM REGI.
Eiusdem Nationis nomine.

NAtio Germanica, quæ Patauij studijs liberalibus operatur, quum non vno iam seculo noua subinde subole eam

eãm vrbem incolat, ad hanc tamen diem in peregrino ſolo hoſpitatur, nec ſibi certum ibi figere domicilium potuit, vbi muſarum omniſque literaturæ ſedem Orbis conſenſus poſuit.

Id cum neque ex gentis maieſtate, neque ex vetere Germanorum gloria videretur, non ita pridem decretum eſt, vt emeretur publicè domus, atque inſtrueretur in eam formam, quæ gentem ipſam, & Muſas deceret. Vt ſcilicet libraria ſuppellex, quæ hactenus in conducto habitat, ac veluti penſionis pignori oppoſita eſt, libera, ac ſui ſoli proſtaret, ipſaque iuuentus iam non inquilina conuenire in vnum, nec vectigales cœtus celebrare poſſet, gentiſq; caput Conſiliarius locum conuentibus tributo nexum indicere ne cogeretur.

Contulere certatim pecuniam omnes, præcipue Dani tui, qua viaticum, qua iuuenile demenſum fraudantes: illi etiam, quibus in hac vrbe breuis mora futura erat, patriæ decori, ac poſterûm commodo conſulentes. Sed nondum ea ſumma confici potuit, quæ operi conſummando deſtinata eſt. Itaque auſi ſumus Domine iſthuc vota noſtra vertere, Regiamque munificentiam prouocare, moti ea fama, qua literas, & diſciplinas fouere impenſius, atque inter Imperii curas non ad oſtentationem adſciſcere prædicaris: tuaque ac magni parentis Trophæa nouis ingenii monumentis extendere.

Nos eius domus veſtibulum quercu tua, ac lauro inumbrabimus, atrium auguſta imagine ſacrabimus. Et cum triũphos tuos poſteritas loquetur, Regiæ liberalitatis monumenta in ipſo Italiæ gremio defixa venerabitur. Interim victricem tuam dexteram oſculamur. Vale.

OCTAVIO FERRARIO S.

PAnegyricam tuam Orationem, qua bonæ Principis exẽplum, atque imaginem publico dedisti, sub vmbra mei nominis, quod munusculo iam pridem testata sum, non ingratam mihi fuisse: nihil profecto causæ erat, cur eo nomine gratias iterata scriptione ageres, Ferrari politissime: quanquam compellationes istiusmodi, & tuas, & a tui similibus profectas, habeo, atque habebo, semper acceptissimas. Quę enim res maiori voluptate possit me perfundere, quam si curas, quas promouendis, ac ornandis literis, quotidianas dare soleo, agnoscam non improbari ab illis, a quibus auctoritatem, & existimationem omnem mutuantur literæ? Quapropter nunc votis te flagrantissimis conuenio, vt hunc affectum tam profusum mihi perpetuum conserues, & si quid librorum, aut tu, qua es ingenij fœcunditate, aut alij illic terrarum viri eruditione præstantes, de nouo in lucem dederint, eius conspectu, ac lectione ne fraudari me sinas. Ego mutuis vicissim officijs certabo, vbi occasio dabitur: nec vnquam committam, ut videri possis frustra mihi bene voluisse. Vale. Vpsaliæ Kal. Decemb. Gregor. M DC LIII.

CHRISTINA

Christinæ Augustæ.

QVod apud te Domina cuncta in venerationem pateant, id mihi commune cum ijs beneficium est, quicumque ab extremo Orbe vertunt huc vota, ac venerationem. Sed quod laudibus tuis rudi, ac simplici pietate compositis, non facilem modo aurem commodaueris, verum licet moderationi tuæ prægraues, non ingratas tamen animo accidisse pro-

profusissima largitione testata sis, hoc vno videbar mihi non votorum modo summam, sed cœlum ipsum attigisse: nec aliud superos rogabam, nihilque huic fortunæ addi posse votis vsque in inuidiam felicibus mecum ipse reputabam.

Cum adfuere nuper literæ augusta manu conscriptæ, mentemque inexpectato gaudio attonitam inusitatis Regiæ clementiæ exemplis obruerunt. Ita vix mei compos hæreo, ac veluti somnio circumamictus tento oculorum fidem, nódum credere audeo, & quasi id vnquam sperare ausus fuerim votorum improbitati irascor simul, atque erubesco, & hoc quantumcunque est, licet non capiam, tamen intelligo. Non enim modo Regias notas, sacrosque apices, augustos literarum ductus venerabundus osculor: sed reddita scripto oracula, paremque oraculis verborum maiestatem, sed sapientiæ altitudinem, grandiaque effata, simul Regiæ facilitatis sublimes, ac celsos, eosdemque mites, ac tenerrimos affectus, & qualem esse Deorum loquelam Homerus vates credidit, trepidus, & sacro horrore perfusus contrecto.

O te ipsa magnanimitate ingeniosam! Ego serenos vultus, præsens mihi Numen, orisque Augusti lineamenta postulaueram: tu ingentis animi effigiem, mentisque iubar, cœlo delibatam imaginem, ac sanctiorem Christinam calamo adumbratam, & quidquid demum sola veneratione intelligimus, transmisisti, & aliquid pretiosius auro excogitasti. Auro fortunas olim meas, nouo hoc munere etiam famam auxisti. Ergo deinceps inter exempla munificentiæ & mansuetudinis Regiæ memorabor. Et raro quidem posthac maiestatis reuerentia ad te scribam, sed nouo hoc incitamento sæpius de te apud posteros loquar. Vale.

CAROLO CARDINALI BARBERINO
Urbis Præfecto.

TVa in summâ fortunâ summa facilitas, quod paucis pagellis nomen Orbe toto clarissimum præscribere ausus fuerim æqui bonique faciet. Leue quidem munus, sed hoc ipso quod sacrario tuo appenditur, pretiosum. Etiã Apes vestræ interdum rosâ, lilioque, & templorum coronamentis præteritis, ignobile gramen, florumq; vulgus adpetunt, nec tam inde nectareos succos delibant, quam quibus insedere, illum cœli sudorem, siderumque saliuam adflant.

Nostra quidem haudquaquam mellificio digna: satis fuerit, si magnorum ingeniorum fauis excipiendis cellas struxerint. Non vno tamen immortalitatis blandimento, quando olim cera, & mortuorum corpora seruata, & magnæ animæ pugillaribus ab interitu ereptæ: quodque inde alimenta luci præbeantur. Annuat modo Deus incæptis: breui, te, ac patruos dicendo capaces ceras implebimus. Vale.

EIDEM.

VT denuo templa tua subirem tu pridem audaciam fecisti, non tam purpuræ ac Præfecturæ titulis, quam virtute procerum Eminentissime. Cum non solum te scripto adiri, sed nominis tui claritudinem obscuris ingenij fœtibus præscribi passus es. Inde spes mihi, te huc iterum descensurum, ac festæ Pacis gaudia

Pacatumque nitens diffuso lumine Cœlum

pari serenitate excepturum. Vtique promptius, quod eadem manu, strideutia Iani claustra coerces, & sacras musarum fores recludis. Quodque præcipuus eiusdem pacis auctor, & minister, Barberinæ domus alumnus, cliensque & incre-

incrementum, vestris apibus hoc mellificium, ac diuinæ tranquillitatis nectar confecit: totumque illud fastigium cum rerum humanarum arbitrio vobis debet. Ianum ego tibi Clusium conciliarem, nisi pridem suos penates, sacraque & prophana tuæ penè adolescentis fidei Roma commendasset. Non Latinarum, aut Albanæ viscerationis causa, sed vt penes te, ac patruos cuncti custodia mundi, ac literarum tutela foret.

Nam te maioribus ire per altum Auspicijs manifesta fides.

Constabit æterna pax populis, si idem Ianus, qui cum gemina fronte totum Orbem spectet, nihil Barberina gente illustrius contuetur, claues iterum, & ius vertendi cardinis vobis tradat

Iunctaque sint magno templa nepotis Auo. Vale.

AMPLISSIMIS VRBIS MEDIOLANI *Decurionibus*.

NVnquam ego vos scripto venerari ausus essem, simulque publicas curas interpellare: ne id mihi, quod olim Druso obiectum est, vitio verteretur, cuius literas ad Romanum Senatum quanquam ad modestiam flexas pro superbissimis acceptas magnus scriptor prodidit, quod accepta Tribunitia potestate adire Vrbem, & coram Patribus gratias agere grauatus esset.

Sed si magna paruis componere licet, in proximo ille litora, & lacus Campaniæ peragrabat, ac de suburbano secessu videbat vrbem quam adire non dignabatur. Me diuersio terrarum non distineri modo, sed alienis stipendiis addictum, vix vlla, ne causariæ quidem missionis impetrandæ spe impediri, quominus tanto honore accepto adeam Vrbis Decos, vestraque ora serena, quibus publica res salusque nititur coram propitiem, summa est excusationis meæ.

Itaque cogor id munus literis delegare, magnum vtique

ex hac necessitate solatium laturus, ne coram beneficij magnitudine obrutus, ac rubore suffusus animo excidam, nec solatis verba expediam queîs dignæ laudes, gratesque persoluantur. Epistola non erubescit. In isto publicæ maiestatis sacrario preces meditanti, & si mens trepidet, constabit calamus, dextraque securius peraget opus ad quod lingua deficere poterat, si vota isthuc transmittere licet, & veluti genua vestra incerare.

Sola igitur mihi vos scripto compellandi audacia superest: & si non ignorem esse vos patriæ istius, ac nobilitatis florem delibatum, quibus Vrbis penatium custodia credita est, quam vos toties a malorum extremis vindicastis. Nec satis vobis vnquam visum est, pestilentiam, ac famem cognatas furias non semel depulisse, nisi etiam salutari in posterũ prouisu literarum dignitati consuleretis, quibus Insubriæ res maximi Regis auspicijs gestæ extenderentur in æuum, quem æmulaque Romanæ maiestatis metropolis Orbem, victricibus armis peragrasset scriptorum gloria collustraret.

Itaque ciue illo immature terris subducto, quod vnum ingenium magnitudini suæ par habuit Insubria, tot egregijs viris id munus prensantibus ad obscuritatem meam herilem nutum flectere placuit, meque honorario duodeuiginti annorum exilio, in illustri loco Musis operantem, semperque enixum ne dedecori patriæ vnquam essem, ad componenda eiusdem patriæ subsecíuo opere monumenta, euocare.

Vt quoniam ingentibus beneficijs, atque inusitata liberalitate deuinctus Veneta signa deserere nec posem, nec vellem, quantum a publice profitendi munere vacaret, totum id vobis impenderem, ac sociata operâ eloquentiæ præcepta rerum illustrium, magnorumq; euentuum exemplis, & consilijs veluti in bono lumine collocarem.

Quod decus sicut tenuitatis meę conscius ne sperare quidem ausus sum, sic ad tantæ rei nuntium victis lætitia sensibus obtorpui, totaque excussa arte quam profiteor vix verba

ba inueni, quibus non gratias referrem, hoc enim nimiæ audaciæ esset, sed beneficij magnitudinem intelligere profiterer, sicut fortunam ipsam non capio. Sed muneris ipsius, iudiciique vestri maiestas hoc ipso constat, quòd rependendâ gratiâ violatur. Id vnum interim spondere possum, adnisurum me omni obsequio, sed potius pietate, ne aut iudicium vestrum fallam, aut munus ipsum ingratum habeam, & irritum. Immensum aperitur opus, quo res vestræ posteris prodantur, qui sicut operis ipsius fiduciam præstitistis, ita veniam non abnuetis. Valete.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI *S. Alexandri Marchioni.*

TArde, immo penè iam sero hoc venerationis officium persoluo. Non tam occupationibus, quæ molestæ magis sunt, quam magnæ: nec tam improspera valetudine, quæ cum alterum oculum tentasset, imperiosa medicorum sententia vtrumque libris clausit: quam quod literæ nostræ penates tuos subituræ æstuant, moras nectunt, & pallent, si non erubescunt.

Quoties enim laureatos postes, & antefixa trophæa, totque ingentium animarum simulachris obseptum atrium vident, tanquam peregrinæ, ac bellorum rudes consternantur. Et licet in penetralia inductis diuersa facies appareat, musarum cultus, non in ostentationem compositus, abacorum puluis eruditus, ac plutei, & domum totam occupans bibliotheca, alia tamen via occurris ingens, & quod de optimo Cæsarum dictum est, longius etiam submoues ingenij fascibus.

Si quidem dies totos, quos prælijs, atque expeditionibus subducis Mineruæ impendis, nec minus dextram ferro micantem trepidant hostes, quam eloquentiæ fulgura mirantur ciues, carminum dulcedinem cuncti venerantur. Itaq;

pene

pene ſolus iſtic laudanda facere, & ſcribere didiciſti. Vnus certe viuis, cui neq; meis, nec cuiuſquam literis opus ſit, vt poſteritati innoteſcas: cum nemo aptius hiſtoriam condere poſſit, & implere.

Sed animi moderatio præpedit, eaque effecit, vt de me aliquid cogitares, malleſque tua præclara facinora, rudi, atque incompta oratione patriæ annalibus inſeri, quam prodendo ipſe, pudorem tuum prægrauare. Sed quæ auctoritas tua eſt, ac iudicij pondus, quod tibi viſum eſt, Vrbis Decurionibus placuit, qui conſenſu in eum iêre, quem tu indicaueras: non male patriæ conſultum rati, ſi obſcuritas mea, monitis tuis, ad huius muneris fidem, atque innocentiam informaretur.

Itaque mihi omni ope enitendum video, ne, quam de me expectationem nimis animoſe commouiſti, eludam. Te igitur auſpice, & auctore teque tuum præbente genium, res huius æui ſcribere aggrediar, quarum tu magna pars eris, ſicuti maiores tui cum Imperii faſtigio totum Inſubricæ hiſtorię negotium vendicarunt. Vale & me perpetuo foue.

OCTAVIO FERRARIO

Vercellinus Maria Vicecomes ſalutem, reditumque in patriam feſtinatum.

NIhil conſultius poſt hęc mœnia condita a Decurionibus noſtris ſancitum eſt, quam vt tu ad perſcribendos ſeculi huius, atq; Vrbis euentus accerſereris. Cui enim melius tutiuſque quam tibi hiſtorica hęc prouincia demandaretur, qui perpetuam obtines in Rep. literaria Dictaturam? Aut quid mirum ſi ad te tua patria reſpexit, quem gentes omnes ſuſpiciunt, & admirantur; qui Cæſaris æmulator, virtutum tuarum ſpeculo, non in proximam vt ille Brittaniã, ſed in remotiſſimam Sueciam ignes eiaculatus, Reginæ virginis pectus amore, & deſiderio tui accendiſti. Minimum

certe

certe mihi adlaborandum fuit, vt cæteri collegæ mei suffragijs suis te vnum designarent, qui præclara maiorum nostrorum facinora posteris enarrares, viuidoque eloquentiæ tuæ succo, cedro melius, atque Aegyptio bitumine munires. Qua porro ratione philaleuthen te, & historici candoris sectatorem probaueris video, qui me Musarum Martisque tyrocinio vix imbutum Bucephali facis, Pegasique sessorem. Nimirum aut ego maxime fallor, aut tu specimen hoc, & experimentum artis tuæ dare voluisti, vt sciremus habere hoc illam, cum perspicillis quibusdam commune, vt minutissima quæque amplificet, ingentique & Augusta specie repræsentet. Quidquid sit, tolle omnes aduentus tui moras, & remoras, ac Mediolanensibus suum Liuium redde: imò vt Liuio melior sis Patauinitatem ocyus exue, ne te frustra, vel tuis ingratijs, tanto animorum consensu, tam feruentibus votis dicamur exoptasse. Vale & veni.

Mediolani MDCLI. XXVII. Quintilis.

OCTAVIO FERRARIO

Vercellinus Maria Vicecomes S. P. P.

PRolusionum tuarum decimam sextam Eminentissimo Carolo Cardinali Barberino nuncupasti, Ferrari disertissime, decimam septimam mihi, Serenissimo Daniæ Regi decimam octauam: hoc est cum attrito inglorij militis sago, conchiliatum Regnatoris paludamentum, & Vaticano radiantem murice lænam, tanquam in Vestiario miscuisti Nisi tua mihi perspecta humanitas foret, hoc eo te consilio fecisse suspicarer, vt mihi inter Regiam, Regiæque parem purpuram inuoluto, plurimum ruboris ex tam illustri vicinia appingeretur. Sed mitioribus vtar coniecturis, credamque te, nomen meum proximis Cœlo nominibus inseruisse, vt in altum talibus machinis euectum, vel splendoris aliquid tam claro contubernio acquireret, vel tutelæ, vel dignita-

tis. Vide porro, quas tibi gratias debeam, qui non laudatricem modo Regum eloquentiam, sed a Reginis ipsis laudatam cothurnos deponere mea causa voluisti, vel vt verius dicam meritorum meorum humilitati commodare, vt illorum statura tuo munere augeretur. Cuperem ego, & deberem reddere tibi voces tuas, laudesque rependere, sed quis epænesin formare audeat tibi, cui coronatæ e sinu Baltico Sirenes concinunt, qui catenatas a Venedicis ad Venetica æstuaria Reginas trahis, tuæ PALLADIS ductu triumphatas. Consultius ergo facturum me puto, si beneficium tuum, si ingentia merita, grata animi recordatione silens complectar, & colam. Vt, quando ob eloquentiæ principatum Patriæ assertum, Rufo maior, Tacitum, quo dignus esses habere non potes, tacitum saltem habeas laudatorem. Vale. Mediolani a die V. Martij MDCLIV.

VERCELLINO MARIÆ VICECOMITI S. Alexandri Marchioni.

MInime vereor, ne inepte aut absurde fecisse videar, quod te summæ Vrbis potestati, ac non vltimo Regnantium medium dederim. Nam cum Regum opes animo æques, fortunam origine accedas, ingenio; ac sapientiæ studiis præcellis, tantoque contubernio incertum relinquis plusne claritudinis inde referas, an transfundas. Certe chlamys tua, summi ducis velamen, non inerti veneno incocta, sed tot victorijs, cruore hostium purpurascens, hinc Præfecti dibaphani, inde Imperatorium coccum fulgore præstringit. Simul mihi ruborem affundit, quod te non sola fastigii societate summam potentiam prægressum, veluti Cœlo deduxerim, atque Herculis cothurno soccos mutauerim. Nihil ergo mihi debes, nisi audaciæ veniam: tibi vero ingentis gloriæ fiduciam. Nam nisi te ipsum agnosces, ego tuis ipsismet literis modestiam tuam aggrediar, ac summæ

facun-

facundiæ reum peragam. Quas literas, & hic in doctorum cœtu, & Venetijs publicare animus eſt, vt non eſſe me tibi blanditum manu tua conuincar. Pro me igitur tuæ, de te literæ omnes loquentur: ego eruditum ſilentium omnium vocibus anteponam. Vale.

DANIELI JVSTINIANO
Senatori Veneto.

DEcumbenti mihi eleui febricula, ſed acri diſtillatione, inſomnia, ac tuſſi quaſſato, munus tuum veluti cœlo demiſſum ſuperuenit, quod non fauces modo mulceret, ſed etiam amara curarum, quas furua bilis arceſſit, vt Homericum nepenthes deleniret. Scilicet Indicarum arundinum ſuccus, nobilior Cęli ſudor, ſiderumque purior ſaliua, ætherei roris coagulum, terrenum nectar, & aliquid apicularum operâ, atque Hymetiis fauis thymo fragrantibus dulcius: pares numero menſium metæ, quas nemo ſanus euitet, ſed vltro in eas impingere votum habeat.

Muneri pretium, ſaccaro dulcędinem naturæ tuæ, morumque incomparabilis ſuauitas, & beatiſſimæ facundiæ mel quod matris ingenio in animis aculeum relinquit, addidêre. Itaque non vt poeta Veronenſis procuraui me ocymoque, & vrtica, ſed nectareis ſoporiferis ſuccis malam pectore expui tuſſim, omnemque hilaritatem recepi, diebus decerpens, ac noctibus, vt cum Pindaro tuo loquar ἱερὸν εὐζωᾶς ἄωτον.

Quare refectus maximes tibi gratis Ago.

Sed longe maius ac dulcius donum expecto, neque impudenter flagito, cęleſtes ingenij tui liquores, & Camęnarum medullam, fauoſque non Hyblæis, ſed Heliconijs aluearibus promptos: vt non palatum modo, ſed animus curarum

felle corruptus edulcescat. His adde ex eodem opificio ce-
ras, queis nomen tuum a situ, atque interitu vindicetur.
Vale Musarum mel.

GREGORIO BARBARIGO BERGOMI
Episcopo Designato.

ISTud honoris fastigium, quod licet ætate maturius, om-
nium expectatione serius non cogitanti tibi, ne dum am-
bienti delatum est, quanta me voluptate perfuderit, ingen-
tium in me tuorum meritorum fidem appello. Ego quidem
sicut in tui cultu, ac veneratione nemini mortalium conce-
do: ita effusissima animi gestientis gratulatione vix quem-
quam parem habeo. Omnes Maximum Pontificum hoc no-
mine adorant, quod te Venetæ rei decus, clarorum proge-
nitorum florem, religionis ac literarum spem infulis ornan-
do, atque illum, qui vt cum Pindaro loquar mentem, & lin-
guam ætate præstantiorem alit, pastorem populis præficien-
do, hoc honorum rudimento mortalium votis præluserit,
studiisque & innocentiæ præmio constituto ad bene spetan-
dum veluti signum sustulerit.

Quod quam optimo iure factum sit, ne hic dicam, facile à
modestia tua impetrauero; Sunt quoque mihi priuatæ gau-
dendi causæ haud leues. Quod paterno rure Præfecturæ
tuæ finibus contermino videor plane mihi sub tanti magi-
sterij tutela conquiescere. Tu certe ex Orobiorum Perga-
mis veluti ex Oetæa specula pauperis tugurij culmen, mea
regna, proximo sidere adflabis. Faxit modo Deus, qui que
Dei vicem colit, vt Vere sacro tuæ istæ violæ verum colorem
induant, quodque in opere Pignoriano nuper vaticinatus
sum, terrarum dominus tibi libertatis insigne largiatur. Va-
le & duos summos viros Cassianum a Puteo & Suaresium a
me plurimum saluere iube.

Eidem Cardinali Creato.

NOn ante ausus sum tibi summum decus gratulari, quam exundantis publicæ lætitiæ æstus paulatim consideret, ac gestientis Orbis effusissima studia remitterentur: ne turbæ immixtus obstreperem, teque plaudentium votis delassatum, ac diuidendis affectibus imparem, præmaturo venerationis officio premerem. Nulla sera gratulatio est, quæ perpetua. Huc accedit, quod gaudij exuberantia, vix animi compos quid dicerem, aut scriberem parum sciebam; & qui tibi olim sacro furore instinctus, palmatam, ac pictam vaticinatus fueram, non dum priorem mentem receperam, Numenque pectore excusseram. Bene habet. Cur in Senatum allectus sis, nemo quærit: sed quod iuuenis id sero adeptus, nullus non queritur. At hercules, te nihil generi, ac fortunæ, singulari virtuti cuncta debere, gentium consensus est: idque omnia felicitatis argumenta vincit. Parco laudes adscribere, quæ infra magnitudinem tuam sunt. Et tu quidem, id tota vita egisti, vt laudanda facere, quam laudari præoptaris: & ego, si me recte nosti, malo tecum simplicissime, quam cum fortuna tua loqui. Id vnum vere profiteri possum, nullum maius, hominum memoria literis, ac disciplinis gaudium oblatum, quando earum in te iubar, vel ipsum radiantis purpuræ fulgorem perstringere potest. Vale Reip. Christianæ ac literariæ bono.

NICOLAO HEINSIO V. C.

Romam.

ETsi ante paucos dies aliquid ad te literarum dederim, quibus de valetudine mea te certiorem feci, posteriorum tuarum officio moueor, vt tibi ingentes gratias agam pro tua ista singulari humanitate, qua te de meo statu sollicitum

citum ostendis. Ego vero ex quo se ver aperit, & mitius cęlum est, vires paulatim recipio, animumque languentem excito quoties de te, ac de Augusta cogito.

Sed perculit mentem nuntius horribilis qui turbulento somnio similis visus est. Immane scelus, cuius sola cogitatio seculi huius inuidiam onerare potest. Feras mentes, quæ aliquid parricidio maius molitæ sunt. Furorem, qui ne sanguinis quidem missione sanari possit. Quanquam audio superûm prouidentia sacrilegos conatus oppressos, Orbemq; terrarum ea cura leuatum, cuius salus vnius capite periclitabatur. Sed cum calamo torpescit mens & seculo conuicium facit.

Ceterum sic habeto, nihil mihi gratius fore, quam si quid noui ad te perferetur illud ad me perscribes. Item quando in Siciliam iturus sis, quando ad nos tui cupidissimos rediturus. Interim hortor te, vt laboribus parcas, nec Vaticano abditus ætatulam tuam vexes, & valetudinem deteriorem facias. Vale igitur si me amas.

Eidem Romam.

CVm mihi literæ tuæ redditæ sunt, quibus, quæ tua humanitas est, me de digressu Venetijs certiorem faciebas, diro capitis cruciatu torquebar, lentaque distillatione, quæ sensim vitam hanc carpit, ac pœnam reddit. Itaq; non potui scripto quod tacitis votis agebam tibi felix hoc iter, ac faustum apprecari.

Ceterum ingens me sollicitudo tenebat, quum te hieme anni tam fœda, tam turbidis tempestatibus, itineribus aquarum proluuie intutis, totque periculis nobile caput obiectares. Nec satis concoquere poteram quod tibi tam vilis esses: nec cogitares in eodem capite incolumitatem clarissimi parentis, Augustæ vota, literarum spem sitam esse. Interim coactus sum responsum differre, donec certo scirem

quo

quo te istæ aditura essent.

Demum & literis Amplissimi Cassiani a Puteo, & verbis doctissimi Rodii te Romæ redditum incolumen intellexi. Quo nuntio penitus exhilaratus sum, tristesque curas depuli, quæ me per hos dies vexarunt, tum bilis æstu, tum quia summi Principis legatus mihi turbas ciet, siue sponte, siue eorum instigatione qui nouam hanc felicitatem ægris oculis aspiciunt. Quod scilicet in Panegyrico Augustæ de gentis illius corrupta militari disciplina inclementius loquutus sim. Sed nihil a me confictum, atque in maius auctum intelliget, quicumque eiusdem gentis nuperos historicos perlegerit præcipue Lotichium, immo a me non pauca atrociora silentio transmissa.

Vix dici potest quantam tempestatem Regium munus commouerit, qui furor, ne dicam liuoris rabies exarserit. Quibus non alium torquem de paupere loro opto, sed hoc vnum supplicium, vt perpetuo ringantur. Tu vale & me vt facis ama.

Eidem Stocolmium.

TE sospitem ab diuturna peregrinatione patriæ, mox & Aulæ redditum commune bonis omnibus gaudium est: mihi etiam gaudii fructus constat, humanissime Heinsi. Sit enim, vt cum Plinio loquar hæc interim tui vera præfatio, dum, Maximi, consenescit in patre. Nam tua opera effectum est, vt supra fortunam meam, immo & supra vota Regiis literis clementissimis bearer, manumque augustam veluti ex proximo osculis appeterem, ac tanti Oraculi sortem, gaudii magnitudine fatiscens acciperem.

Totum id tuum beneficium est, non tamen primum. Quippe pridem Regiæ magnanimitatis minister fuisti, ac principalis muneris sequester, cui a te pretium accederet. Cuius tamen fulgor nouo hoc decore obteritur, quod quolibet auri

ri

ri pondere contra carum est. Pergis tu, quo animi candore præcellis, non mihi solum, sed bonis omnibus sceptra, castamque Iunonem conciliare. Nec quod aulæ, ac seculi venenum est, quenquam frigore percutis, aut vlli in templa aditum inuides: sed vltro venerantium officia prouocas, ac supplices sacrario propius adstituis. Sic salua maiestate partiris Dominam, eiusdem maiestatis portio haud leuis, Regiæ mansuetudinis fides.

De rerum mearum statu hæc habeto conflictatum diu me, recurrentibus cum hiemis asperitate capitis cruciatibus, inter quos tres postremas Prolusiones edidi, quarum exemplar vt quam primum tibi ac Dominæ reddatur curæ erit. Quominus res vestiaria ante tres menses absoluta publicetur obstat desidia sculptoris Icones ægerrime molientis. Cum primũ prodierit videbo vt quam celerime ad vos perferatur, cum pars altera hoc se ambitiose circũspiciat, quod sacrum ac venerabile Augustæ nomen fronti præscripsit. Vale mi Heinsi, & valetudini tuæ parce, ne tecum vna bonæ artes, atque omnis humanitas ęgrotet, nosq; tam charicapitis desiderio contabescamus? Vale iterum & salue Dominę, ac seculi decus.

FRIDERICO GRONOVIO V. C.
Dauentriam.

EGo quidem superum virtute adhuc vitam colo, & a grauissimo morbo non ita pridem recreatus valeo, tuique studium atque obseruantiam inter vitę pretia numero. Sed mihi morte tristius contigit, quod per tot annos nihil a te, aut de te accepi, quem propter suauissimos mores, ac singularem eruditionem, ingentiaq; in rem literariam merita vnice colo ac veneror. Nam ex quo doctissimas tuas in rem Vestiariam exercitationes misisti, male peream, si quid aut literarum, aut operum tuorum ad me peruenit.

Cum

Cum vtrumque auidissimè expectarem, illas beneuolentiæ tuæ, hæc summi ingenij monumenta, Cl. Rodius monuit me, ante biennium missos esse abs te Liuium, & Senecam tuũ ad communem amicum, qui mihi reddendos curaret. Sed aut ea malâ manu perierunt, aut ille omnia amicorum communia putauit, ac seruili probro aspersus est. Itaque posthac etiam, atque etiam vide cui res tuas committas.

Interim a me prodiere Prolusiones & Panegyricus incõparabilis Reginæ. Ea ad te missurus fui, sed quo modo & per quos tuto mitterem nondum comperi. Conduuinum tuum amplexus sum quam potui officiosissime: alioqui liberali specie, ac modestia non vulgari, naturæ commendatitias præferebat. Ait, se post aliquot dies Romam excursurum. In reditu efficiam profecto vt intelligat, quanti tu apud me sis, ac fias.

Pars altera de re Vestiaria excuditur. Vt id opus in quo iam plusquam ille in Smyrna desudauit ad manus tuas perueniat adlaborabo. Sed næ tu delicias facis qui scripta tua scruta appelles, quæ sunt Musarum Cimelia, in quorum cõparatione omnis mea suppellex, & curta, & ferrea plane est ne dicam plumbea. Per fidem tuam & quidquid hactenus publicasti candidus imperti, & quid publico bono editurus sis, certiorem fac. Liuium ægre ab amico per paucos dies impetrare potui, itaut ne totas quidam notas perlegere potuerim. Ex ijs quas degustaui, exclamare cogor, nemini mortalium plus Liuium debere, quam tibi.

Plura alias scripturus sum de communibus studiis, nam Conduuinus iturus cras Venetias, vix spatium concessit, quo hæc raptim exararem. Interim Vale vir summe, fugientium literarum stator felicissime, atque in amando mutuum facere perge.

ALOYSIO MVSTIO
D. M. Procuratori.

QVod Reginæ incomparabilis effigiem, verendos mihi vultus, caput toto Orbe secundum transmiseris, liberalitatem tuam, & Regium vtrinque munus agnosco. Ac sicut primo telæ spirantis obtutu defixus hæsi, atque ex lineamentis cum ipsius naturæ veritate certantibus animi illius, quo nihil pulchrius Sol videt, speciem concepi: ita tantum munus nulla re magis commendari posse intellexi, quam si a te veniret, qui ingeniorum patrocinio, atque interioris literaturæ cultu penè solus hodie Christinã æmularis. Plus ne Augustæ, an tibi debeam incertus sum, cuius beneficio hoc sacrum contueor, quo semel viso, non vltra oculis opus est. Quoties igitur illuc aspectum conuertam, toties imago tua recursabit, & illa oculos implebit, hæc animum. Quantum debeam intelligo. Nam aliquid persolui posse audax votum est, & muneris iniuria, cuius magnitudo hoc vno constat, quod rependi non potest. In quo tu non solum cum Augusta, sed cum superis paria facis, quorum proprium est ita prodesse mortalibus, vt solo beneficii intellectu satis fieri sibi patiantur. Ego quod reliquum est, in vno munere duos venerabor. Vale.

BAPTISTÆ NANIO
Studiorum Moderatori.

POteram equidem, fortasse etiam debueram, effusis omnium studiis ac gratulatione, turbæ venerantium immixtus tacita gaudia peragere, vel adstrepere cum vulgo, & publicæ felicitatis bona in commune computare. Scilicet religio erat, tua in tanto fastigio positi tempora intempestiue morari, teque pro salute ciuium ac sociorum perpetim excu-

excubantem vel tantillum a cura Reip. abducere.

Quæ cogitatio ac pudor hactenus me deterruit, & calamum repreſſit, quominus ingentibus patris tui, atque auunculi Hieronymi Landi meritis obſtrictus, idem tibi obſequiū ac cultum deferrem, & vota palam nuncuparem. Nunc cum rem populi, ac literarum tractes, tibique eodem tempore rerum bellicarum ſummam, ac pacis opus, hoc eſt ſtudiorum regimen prouida Senatus cura demandarit, ideſt vtrumq; Cœli iſtius cardinem in humeros tuos reclinarit: eſt quidem mihi communis cum ceteris geſtiendi cauſa, quicunque bonas artes profitentur, atque in Gymnaſio tuo immortalitati operantur.

Verum cum tu iis literis, quibus ab humanitate nomen indiderunt, qui eas hominum peculiares exiſtimarunt, & ab infantia innutritus ſis, & vir factus, inter publicas curas grāde ſolamen, ac decus adſciueris: præterea eloquentia, ac beata quadam dicendi copia liberi, atque Italiæ principis populi potens ſis, nemoque iſthic ciuilis prudentiæ, ac dominationum arcana exactius calleat, & pertractet vberius: non immodeſte ſolidum id mihi gaudium arrogare videor, neque inuidioſe, in tantæ fortunæ partem neminem admittere, qui ſtudiis hiſce, quibus præcellis, ac præes delibatum iuuentæ florem informo.

Huc accedit, quod ad componenda rei Venetæ monumenta non ita pridem electus es, vt pene ſolus iſthic laudāda facias, & ſcribas. Omitto ſummos iuueni honores certatim congeſtos: Galliam magnorum ingeniorum feraciſſimā prudentiæ tuæ, ac dexteritatis memoria, ſed præcipuè inuſitatis munificentiæ exemplis adhuc ſtupentem. Sed quod laudem omnem exſuperat, ſummum ſtudiorum, ac Muſarum arbitrium vix iuuentam egreſſo delegatum, quod nonniſi prouectæ ætati creditur: neſcio maiore tui gloria, an noſtro beneficio, cum interdum in effœto corpore, ac vitæ reliquijs ſpiritus langueſcat, & ſit quædam animorum ſenecta,

quodque consequitur, supremi anni ad rem paulo attentiores, illiberalius se aduersus studia gerant. quæ sola munificentia accenduntur.

Magnum vtique ab viridi ætate tua doctorum solatium, ac vigiliarum blandimentum, futurum te non semel in hac specula, rebusque afflictis, ac prope accisis operam strenue laturum, ac turbatas ærarij rationes expediturum: qui literas penè intemperanter amas, quem literæ in id fastigium extulêre. In id omnes vota coniungimus, & non semel damnari votis optamus. Vale rei Venetæ spes, & columen.

PETRO LALANDA IN EXERCITU VENETO Gallorum cohortis Præfecto.

ITa te castra & fera munera militiæ secutum, vt Musarum minime obliuiscaris, & cum iis interdum veterem rationem deducas, nimium quantum gaudeo. Id nisi antea mihi persuasissem, fidem facerent cultissimæ, atque humanitatis plenissimæ literæ tuæ, quas dum cupide lego, redeo in memoriam veteris contubernij, quo ingenium tuum minime vulgare & pectus sapientia plenum exosculatus sum.

Macte virtute vtramque viam ad laudem & decus insistis; & præclara tam facere, quam scribere vnicum gloriæ complementum est. Quod Prolusiones meas vere ingenii ludum inter otii militaris oblectamenta percurreris, non sine voluptate vt scribis, id demum mihi pergratum accidit, qui abs te, & tui similibus laudari magnum laboris qualiscunque pretium duco. Faxit Deus vt tu aliquando in partem operis venias, nec semel dicendus occurras. Nam cum patriæ decreto ad componenda huius seculi monumenta vocatus, electusque sim, si ad Cretense bellum curas produxero, erit copia tui memorandi, cuius operam in Clissę expugnatione enituisse posteros testabor.

Quare etiam, atque etiam rogo, vt cum per otium licuerit

ad me rem totam diſtincte & cum fide perſcribas, & reli-
qua quibus interfuiſti, vel prȩfuiſti. Nec maius obſeruantiȩ
te meȩ, & certius pignus dare poſſum, quam ſi memoriæ
nostris literis cuſtodiatur. Interim quod facis viue mei
memor, & Vale.

ANDREÆ CRVCEIO MEDICO.
Mediolanum.

CHriſtinȩ Auguſtȩ laudationem, in qua nihil laudabile
eſt prȩter argumentum, vt verum fatear amare cœpi,
quo Muſas tuas prouocauit, mentemque accendit, vt
tanto Numine plenus argumẽti maieſtatem dulcedine car-
minum ȩquares. Dominȩ ipſius Iunonem iratam habeam,
ſi perlectis literis tuis, atque adiecto epigrammate, tibi,
patriȩ gratulatus ſum. Quòd hoc ſeculi languore, hoc bo-
norum literarum neglectu, hac neceſſitate penè extra Orbẽ
querendi, quos laudemus, amaueris bonam mentem, nec
minus feliciter muſis, quam olim Hygiæ litaueris. Scilicet
animo tuo veræ virtutis ardore æſtuanti, non ſatis viſum eſt
arte ſalutari exercenda, intercedere fatis, depoſitoſq; mor-
tales deripere orco, niſi etiam animorum medicinam inſti-
tueres, victuriſque carminibus extenderes mortuorum me-
moriam, mortis ipſius iura reſoluens.
Macte virtute incertum reliquiſti, plus ne tibi Apollo pa-
ter, an Apolline ſatus debeat. Quod ad me attinet vtriuſ-
que artis beneficium ſenſi. Nam biennio cum iſthic in mor-
bo cubarem, non minus medica manu, quam alloquio iucun-
diſſimo omnem ægritudinem abſterſiſti, & nunc ituram bre-
ui in obliuionem Panegyrim, ingenij tui vi aſſeruiſti, quodq;
mihi familiare eſt ab interitu vendicaſti. Hæc igitur tibi So-
teria appendo, & cum ſe dabit occaſio carmen ipſum ad li-
terarum Reginam tranſmittam, vt intelligat, non vnum eſſe
in Italia qui laudum eius materiam concipere audeat. Sic

te

te Asclepius pater, sic Apollo semper respiciat. Vale.

JOANNI STEVCHIO VIENNAM.
Amici nomine scripta.

NIhil fortunatius nuptijs tuis accidisse mihi in vita ex stimarem, si quemadmodum ijs gratulabundus fauee, ita earundem frequentare officium, tuoque inuitatu lætitiæ causas præsens agitare possem. Sed nimirum eadem fortunæ impotentia, quæ me per tot annos membris captum, lectoque affixum crudelissime vexat, totque cruciatibus, quot humani corporis partes sunt, carptim torquet, & lentâ morte conficit, ipsam mortem votum facit, mihi etiam hoc bonum inuidet, aliumq; mihi Hymenæum occentat, alias choreas, aliud tripudium instituit.

At saltem aliquod sæuientis interuallum esset, daretur tantisper spatium, quo corpus grabbatto deriperem, compedes, ac manicas exuerem, & vel reptans isthuc accedere possem: non me ætas annis morbisque fractum, non cœli istius inclementia, non Arctoæ niues, non æternis pruinis cana montium iuga absterrerent, quominus præsens feli tibi coniugium, propitium maritalis fulcri genium auctolo, & prole penates precarer. Quod igitur possum vota isthuc, & precationes transmitto: vt Dij coniugales læto omine connubium firment: ames, ameris, nec minor animorum mixtura sit quam corporum: nihil denique aduersi accidat inter vtramque facem. Scribebam vacillante manu, ac distortis articulis, ex tot annorum ergastulo. Vale.

GVLIELMO ASHBVRNHAM
Anglo.

NIsi tua præclara indoles, arcanus luminum vigor, ori que maiestas, te in tui dissimulationem composi erum.

mpens, sed præcipue motes candidi, præ altum ingeniū
terarumque cultus haud vulgaris te principe familia edi-
proderet, satis id munificentia tua indicasset, qua me
per tanto munere ditasti. Regium munus est, Regis ma-
imago, sed triste rerum humanarum spectaculum, im-
entis fortunæ pudor, ac crimen, Monstrum omnem feri-
em supergressum, ad quod vel barbaræ mentes exhorre-
t, quod omnis posteritas execrabitur, nisi quæ non cre-
Quis talia legens temperet a lachrimis?

go quidem vt humanæ fragilitati ingemui, diuque tam-
m turbulento somno vexatus, vix oculis credidi, ita ma-
m illam animam de pegmate, carni ficisque manu riden-
sui ludibria trunci, eiusque suprema effata, ac victura
cula sanguine conscripta non sine indignissimæ necis ho-
e suspexi. Iis tu oraculis aurum ac purpuram circumpo-
i. Ita & argumento, & largientis liberalitate, & ipso
Regium plane munus tuum est. Regium quoque erit
benefeceris bene audire, eiusque quem hoc munere
eris tenuitatem excusare, qui beneficij magnitudinem
debiti professione exsolui posse intelligit. Vale magni
Basirij contubernio dignissime.

RANCISCO MARIÆ SVARESIO
Episcopo Vasionensi Romam.

Vm magna pars mortalium parum virtuti, plurimum
fortunæ debeat, Tu nouo exemplo virtuti, tibi fortu-
omnia fert accepta. Quæque sola mortalium rationes
ficit, tuo nomine alteram paginam explet. Ita quam non
do pauper colonus, sed torui metuunt Tyranni, ipsaque
us interdum ambit addicta tibi, neque est soluendo,
m si versuram faciat, rationesque conturbet. Tu quip-
illam ex Prænestinis ruderibus consepultam excitasti, ac
tumulo templum reddidisti, veteris Templi formam

eru-

erudite protulisti, pristinum etiam cultum, ac sacra reddi-
turus, nisi Christiana Philosophia, inane eius Numen pridem
traduxisset. Sortes quoque reuocaturus nisi tu Oraculum oc-
cupasses. Nullus deinceps metus, ostenti loco eas attenua-
tum iri. Vna enim semper excidet, qua Barberinis terra-
rum regimen, tibi rei literariæ summa deferatur. Certe in
libro tuo, quo me nuper beasti, omnes ingenium, atque in-
dustriam, nemo fortunam admirabitur.

Ε'γὼ ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω

Si maiori, ac minori hero me commendaueris, & per fortu-
nam tuam adiuratus, credes me fore perpetuo.

Tuo clarissimo nomini addictum
Octauium Ferrarium.

NICOLAO SAGREDO D. MARCI PROC. *Studiorum Inspectori.*

NOuum hos sidus, quod beneficum literis, ac disciplinis
affulsit, sicut omnium oculos inusitato fulgore in se
conuertit, ita animum meum supra humani gaudii fidem
erexit. Nam partim seculi languore, partim tristissimi belli
turbine torpentibus studijs, ac re literaria afflicta, atque ad
incitas redacta, tu vnus istic eras, qui noctem prope supre-
mam subita serenitate discuteres, atque ipsa desperatione
marcentes animos alleuares. Quis enim te ipso ab ineunte
ætate ardentius Musas deperijt? quis inter magnæ fortunæ
meditamenta optimarum artium studiis animum impensius
excoluit? quis præclara ingenia illustriori patrocinio fouit?
Nullus hercule a condito Gymnasio flagrantioribus votis
expetitus, nullus effusioribus studiis renunciatus est.
Et publicam quidem Academiæ lætitiam, professorum
gaudia, qui has tibi reddet Syndicus Prorector iuuenis vir-
tute

tutè ac genere nobilissimus coram testabitur. Ipse hoc internuntio gestientis animi impetum mandare literis ausus sum, non tam tua singulari facilitate inductus, ac memoria ingentium meritorum obstrictus, quam quod literis politioribus quas profitemur, tu diuina in Senatu, apud Reges, Cæsaréq; ac Pontificem eloquentia, atque omnis interioris literaturę cultu, grande decus addideris, atque ea suis pretijs æstimes, quæ te ceteris istic prætulerunt. Vt non tam tutelam, quam commendationem abs te literæ nostræ deinceps sint petituræ, ac beata resp. literaria, te principe philosophante, futura. Sed de laudibus tuis olim decora ingenia certabunt. Interim Gymnasium nostrum tibi spes suas, ac vota commendat. Vale.

BAPTISTÆ NANIO
Senatori Veneto.

SVmme Virorum. Quid tibi vis inquies cum gemina epistola? Non satis fuerat, vnius tædio aures onerare, nisi alteram inculcans, grauissimis curis interstreperes, & non simpliciter in publica commoda peccares? Ego vero, Domine, quoniam frontem perfricui, & te publice compellare ausus sum, hoc saltem profeci, vt minus erubescerem, te remotis arbitris familiariùs venerari. Satius ergo duxi, hæc qualiacumque tibi a me repræsentari, quam casu ad manus tuas deferri. Non quidem, vt tuæ ac publicæ rei tempora his nugis morer: improbum enim votum esset: sed vt te, meque mihi non excidisse testarer. Ergo præclarè mecum actũ putabo, si ea ne legeris quidem: verum vt tanti nominis suffragatione ipse ab omnibus legar. Vale.

NICOLAO CORNELIO
D. Marci Procuratori.

HAbes Musarum secretum, in quod te e tanto fastigio, ac dignatione pridem condidisti. Itaque cum argumentum exemplo tuo sanctius sit, nihil præter audaciam excusandum habeo, qua studiorum tuorum sublimitatem ad hæc humilia in vmbra nata deduco. Sed ex quo te propius venerari mihi concessum est, & vltro in humanitatis tuę sacrarium inductus, vota quoque mea transcendi, nescio magis in excelsa fortuna obuiam omnibus facilitatem, an pectus tuum sapientia plenum, & harum literarum præstans studium, admiratus sim. Certè in Regia hac domo, quæ tamen domino minor est; cum cuncta priuatum censum supergressa oculos morarentur, in nulla re magis, quam in te ipso hæsisse me fateor. Adeo altitudine animi, & sapientiæ studijs interioribus te, ac fortunam vicisti. Alij ergo te ipsum extra te quærent, ramumque millesimum ab vltimo stipite Corneliorum, quibus Africa, atque Asia nominis spolium fuit, repetent. Regias nurus, mixtaque libertati sceptra stupebunt: ego libentius semper tecum quam cum fortuna tua loquar, atq; hunc non inuidiosum Africani secessum, otiumque honestissimum omni negotio anteponam. Vale.

PETRO BASADONNÆ
ad Pont. Max. Legato.

QVoniam fortuna aduersâ valetudine tuum venerabilem conspectum studia auspicaturo inuidit: licet eidem periculosa synanche fauces obstruendo, vocem præcludens, hoc ipso fauisse visa sit, quod tuis cultissimis auribus ineptias meas subduxit: triste tamen beneficium eiremittere constitui, & qui tunc aures non obtudi, oculos fatigare,

gare, si tamen hæc tanti erunt, animum induxi.

Minus certe erubescent: quanquam morosior oculorum censura, quam aurium sit: cum quæ transuolare audientem possent, ea ex interuallo reuocare legenti liceat. Sed noui humanitatem tuam, quæ sicut præsentis onerare pudorem poterat, ita absenti facilius dare veniam parata sit. Cum præcipuè in tua te inducam: hoc est in Musarum secretum, quod nemo mortalium, te minus ambitiose, & maiore cum fructu hodie colit. Ego quidem e populo secessi. Te vnum religiose obseruo, qui mihi instar omnium es. Cui si hæc non displicuerint, ea omnibus placuisse intelligam. Vale.

DOMINICO ZANIO
Senatori, ac Censori.

SI ego apud te munusculi tenuitatem excusem prolixæ humanitati iniuriam facere videar, quæ sicut meas aliquid putat esse nugas, ita eas tam patienter legere potest, quam a me fidenter offeruntur. Hæc quidem iuuentuti dictata sunt, & operum vacuis, non vobis in quorum manu Resp. sita est, quique consilio, ac sapientia humanas res tuemini. Verum interdum ad ista diuertisse, vestræ ac publicæ rei interest, vt dignatio literis accedat, quæ a vobis præsidium, ac decus mutuantur, cum in partem tantarum rerum adsciscuntur. Te vero, si quis alius isthic, impense fauere studijs, tam sine assentatione dicere possum, quam tu illa sine ambitione colis, immo propter quæ coleris. Dum igitur hic frater sine collega rem populi tractat, moribus disciplinam sancit, ac iuuentutem molliter semper habitam, dexteritate, & clementia sibi deuincit, tu isthic ad summa quæque enitere, Musasque & ingenia tibi conciliare perge, vt de geminis fratribus ea literis prodantur, quæ in vnius domus gloriam redundent. De me nihil addo, quem ita beneficijs tuum reddidisti, vt frustra eum laborare putem, qui se suis com-

commendatum cupit. Vale.

BAPTISTÆ NANIO
D. Marci Procuratori.

CVm nemo sit, qui flagrantissimis studijs, tibi nouum hoc decus non gratuletur: nihilominus, ætati licet immaturæ, hoc senile laborum præmium ac solatium serò redditum, & nihil hoc ipso dignationi additum, vniuersi fatentur. Quippe iam tantus es, vt titulis omnibus superemineas, atque honorum eximia tam mereri, quam altitudine animi infra despectare possis, plusque illis claritudinis addere, quam accipere. Non tibi ergo, sed patriæ cui hæc trophæa figis, sed literis, ac sapientiæ gratulandum est, cuius decus, ac rara felicitas est, quoties magna, atque inusitata virtus inuidiam vicit, ac seculi mores supergressa est. Nos in hoc Musarum domicilio cui tu præsides, triumphi fremitum e proximo captamus, tibiq; obiectam exerendæ moderationis materiam gaudemus: atque hinc rerum fastigium rato omine auguramur. Calamos expedimus, ingenia intendimus, ac lætitiæ oestro abrepti, vt olim in ludorum secularium denunciatione, præconium facimus, vndique ad id spectaculum conuocantes, quod nemo mortalium antea vidit, aut visurus vnquam sit. Vale.

DANIELI JVSTINIANO SENATORI.

NOn satis tibi visum est, cum vetus Musarum contubernium ex longo interuallo reuiseres, inter adolescentium subsellia aridę disputationis molestiam vorare, nisi etiã doctoris penates laremq; angustum subires, in quo nullum præter te ornamentum erat, ac nouissimo singularis humanitatis argumẽto de reditu tuo per literas me certiorem faceres. Hæc magna sunt, neq; tamen aut noua, aut inusitata

ta accidunt. Ex quo enim ſecundis Numinibus has terras attigi, nullius ſtudium prolixius, nullius propenſiorem voluntatem expertus ſum. Nullius item ingenium aut ſuniorem mentem attentius ſuſpexi, & mihi, ac Reip. magis ex animo hoc decus gratulatus ſum. Quod tenuis ingenij opellam penſi habeas, agnoſco veterem beneuolentiam: ſed interim imbeccillitatis conſcius illud identidem vſurpo. Magnum ſpirare, parum poſſe. Ita tamen vt tibi hæc non diſplicuiſſe inter rara decora numerem. Vale literarum bono, & fratres tuos virtute geminos a me ſaluere plurimum iube.

EIDEM.

HEliconio rore, imò quinta parte nectaris ſui, nõ Venus ſed caſtiſſimæ Muſæ carmina tua imbuerunt: quæ dũ perlego incredibili voluptate perfuſus ſum, ſicut rubore ſuffuſus in primo epigrammate, quod nomini meo dicaſti. Verum diutius frontem perfricui, quandoquidem ab laudatiſſimo laudari, ne ſeuerioris quidem notę ſapiens abnuerit. At Iulius incomparabilis dignus Homero Achilles, quanquam & ipſe chelyn temperat, & Phębo digna loquitur. Vtriq; veſtrum eiuſdem Phębi chorus aſſurgit, ipſe autem veſtigia adoro.

Cæterum diu eſt cum horis ſubſeciuis, & ſpatioſę nocti fallendæ, nondum enim cum ſomno in gratiam redij, Italicę linguæ origines indago, quæ ſicut indubitato latinam matrem cum ſororibus Hiſpanica, & Gallica agnoſcit, ita innumeris vocibus ſcatet, quæ partim vſu corruptæ, ac deprauatæ, partim barbarorum irruptionibus fædatæ, & in peregrinum ſonum degeneres diu ingenium meum torſerunt, & ſcrutantis ſedulitatem hactenus eluſère.

Bene tamen habet, quod hæc cura non ſemper infeliciter ceſſit. Nam, abſit verbo inuidia, plurimarum notationem ex profundo vetuſtatis erui, atq; origini ſuæ aſſerui. Si vi-

ta suppeditabit aliquis laboris fructus constabit. Hæc gra-
uiorum curarum auocamenta, ac diuerticula mihi sunt, quæ
tamen interdum serijs grauius mentem quatiunt.

Multa ex Veneta dialecto non absurde interpretatus sum
Puto te ad ista vix risum tenere. Sed præter genij occultam
quandam vim, viros in omni ętate præstantissimos auctores
habeo. Dum ista vt ait Plinius noctu musinamur pluribus
horis viuimus. Viue, tu, ac Vale, & quod facis Iustinianum
nomen vltra solis metas extende. Patauij.

EIDEM.

SAturnalibus optimo dierum vtar libertate Decembri, &
cum hero liberius loquar, Quanquam isthic December
totum annum occupauit. Dij meliora. Sed deploratæ sa-
lutis argumentum est, in vicinia mortis, ridere. Verum
amota intempestiua sapientia, hoc interim agamus, & trium
vocum Venetarum notationem pingui hoc otio inuestige-
mus.

Recte tu quidem conijcis BROLII vocem (vt ab ea or-
diamur, quæ sicut publicæ rei summa, ita vtinam sine noxa
sit) inde deductam, esse, quod is locus, quo patricij conue-
niunt, & quæ ad honorum petitionem, ac forensem ambi-
tum pertinent, peragunt, olim arboribus consistus erat. Qui
locus Græca voce corrupta, & deprauata, & tunc, & hodie
appellatur. Nam vt rectè nosti, περίβολος, & περιβόλαιον, lo-
cum septum, & maceria, siue męnibus circumdatum signi-
ficat, fermè coercendis feris, nunc a palis, siue sudibus de-
fixis *Parcum* appellant, etiam postquam muris męnitur. Inde
factum est Periuolium, tum briolium, siue brolium, quæ vox
hoc sensu durat. Insignis locus est apud Luit prandum Tici-
nensem in legatione ad Nicephorum. Sed & idem Nicepho-
rus in eadem cęna me interrogauit, si vos periuolia, idest
briolia vel si in periuolijs onagros, vel cetera animalia ha-
bere.

beretis. Cui cum vos brolia, & in brolijs animalia onagris exceptis habere affirmarem. Ducam te, inquit, in nostrum periuolium, cuius magnitudinem, & onagros, ideſt ſilueſtres aſinos te vidiſſe miraberis. Ductus itaq; in periuolium satis magnum, montuoſum, fructuoſum, minime amęnum.

Huiuſmodi brolia in Vrbibus publice ad populi oblectationem, & priuatim apud proceres voluptatis cauſa habebantur. Otho Morena in Hiſtoria rerum Laudenſium pag. 18. Quoniam ipſi fere omnes mecum quoq; ipſo in brolio episcopi, & alibi extra ciuitatem hoſpitati fuerant. Brolium ergo viridarium, ſiue ferarum ſeptum arboribus conſitum. Moſchopulus. Hortus olerum, & arborum, videlicet paradiſus: καὶ τὸ νῦν κοινῶς λεγόμενον περιβόλιον. Benedictus Iouius Hiſtoria Nouocomenſi. Huic epiſcopo prædictus Henricus conceſſit Belitionam, Xenodochia, & alia Cęnobia, neq; non loca publica, Brolium & Arenam. Et infra. Eſt autem Arena &c. At Broilum publicum fuit viridarium, vbi Cęnobium ſanctimonialium S. Clarę in broilo nuncupatum. Idem Morena p. 84. Eccleſia Sanctorum, quæ eſt in capite Broili. Et alibi. In Brolio S. Saluatoris de Papia.

Sunt nunc duæ Mediolani inſignes Baſilicę S. Stephani & S. Nazarij in brolio. A brolio factum eſt broletto duplexq; Mediolani pariter extat, Vetus, ac nouum. Vetus vbi forum mercatorum, nouum vbi annona proſtat. Item Brixiæ Prętorium Broletto ab eadem cauſa appellatur.

Porro Venetijs in foro fuiſſe olim Brolium ſacrarum Virginum S. Zacchariæ conſtans opinio eſt, quam confirmat Sanſouinus. Quod ergo is locus petitioni honorum, ac prenſationi ciuium deſeruiret, mos obtinuit vt *andare al broglio*, pro in forum deſcendere, & *far broglio* pro ipſo ambitu acciperetur, *patire il broglio*, ambitui obnoxium eſſe. Imò inde *ambroglio*, & *imbrogliare*, ab ipſis ambitus turbis, ſtrophis, ac tricis. Eadem ratione quia in petitione eſt precatio, ex hoc *preca*, *brega*, & *briga*, ab æmulatione, & con-

tentio;

tentione, & multiplicitate curarum, sollicitudine, discursatione. Hæc fusius in commentario Originum linguæ Italicæ, si vita suppeditabit exequemur.

Secundum est, BVCENTORO. Quod paucis expediam. Naues olim ab insigni denominatas certum est. Hodie ferme a Sanctorum tutela, vt olim a Dijs. Apud poetam in certamine nauium. Pistris, Chimera, Centaurus, Scylla. Hinc credimus nauim Ducariam vestram, Centaurum olim appellatam, ad cuius magnitudinem demonstrandam additam Grȩcam particulam BV. quam non ignoras fuisse intensiuam, vel vno Varronis testimonio, cuius verba sunt de re rustica l. II. c. V. Noui, inquit, Menas, maiestatem boum, & ab his dici pleraq; magna, vt Βούσυκον Βούπεινα, Βούλιμον, Βοῶπις. Est Βούσυκος, ficus marisca. Bulimos maxima fames. Bupina ingens sitis. Vltimum Iunonis epitheton a magnis oculis, non bouinis, vt inepte Interpres vertit. Bupȩdes etiam pueri exoleti: Plura pudet adijcere apud te Grȩcarum literarum callentissimum.

Hæc Bucentauri notatio placuit Baptistæ Pio, vt illis temporibus doctissimo. Qui annotationibus prioribus syllog. III. cap. IX. hȩc habet loquens de nauigijs Thalamiferis apud Strabonem, quȩ Suetonius in Cȩsare vocat Thalamega. Sunt, inquit, Regiæ quædam naues, & pompaticæ, quibus reguli nostrates vtuntur tabulamentis prætoritijs &c. Has dictione significantissima & venustissima vernacala simplicitas Bucentauros appellat a magnitudine, Græcis assuetis rebus magnis Bù syllabam præponere. Sed quid opus est verbis? Huic sententiæ Venetum ciuem pariter doctissimum ad stipulatorem dabo. Is est Nicolaus Erythræus in Indice Virgiliano ad ea verba. Centauro inuehitur magna. De huius Centauri nomine, inquit, Veneti Ducariam suam nauim picturis, auroq; præfulgentem Bucentoro, quasi Bucentaurum appellant Bù intensiua particula adiecta, qua ad exemplum Græcorum, magnâ, epitheton Virgilianum expressit, Venetus

huius

huius nominis auctor, quisquis fuit ille, doctissimus. Puto ego istum esse ex familia Rubeorũ, siue de i Rossi, quæ isthic honestissima, & a Senatus secretis. Vtinam vero huius auctoris extaret opus, quod in eo Indice pollicetur, quod Stoicum inscripsit, de origine linguæ vernaculæ, fortasse magnam nobis lucem in Venetis vocabulis indagandis suppeditaret. Certe Index ille Virgilianus, plus doctrinę in recessu habet, quam in fronte pollicetur.

Extremum hunc Aretusa mihi concede laborem.

Vt pauca de voce REGATTA referam. Cuius notatio haud scio an hactenus a quoquam intellecta sit, aut explicata: cum tamen non admodum difficilis, aut operosa sit. A ludis enim Circensibus, siue curruum certamine, & Aurigatione translata est. Nemo ignorat in Circo aurigas de cursu contendisse, quis prior metam septies circumflecteret. Ita alter alterum præuenire, ac præuertere laborabat. A cuius similitudine nauibus de velocitate certantibus, aurigatio dicta est. Hinc per aphæresim *regata*, & *regatare*, aurigata, & aurigatare. Sic diuinus poeta in V. certamen nauium in ludis funebribus Anchisę, Circensibus comparat, & *Regattam* oculis subijcit. Ab aurigare autem etiam *Garæ* defluxit, quod est contentio, ab eodem factionum studio. Imò & *Rigatiere*, quos Latini propolas dixerunt. Quod scilicet inter se contendant, fructus pręcoces, ac res esculentas, quæ primum in foro apparent emere, vt carius distrahant. De quibus alias.

Hæc habui, quæ inter strepitum insanientium, ac discursantium laruatorum properante calamo effunderem, ne mireris si tot lituræ inciderunt. Eas tu clementer æstimabis. Heri carmina Baduarij & Businelli accepi. Sed hoc beneficio non nisi ferijs Paschalibus frui possum. Nam esuriales residendæ sunt, & in pistrino versanda mola. Ita cum ieiunio silentium seruabo. Vale mi sol, & viros amplissimos D. M. Procuratores Mustium, ac Iustinianum mihi propitia.

EIDEM.

VEneti Achillis lethum, tantumq; Reip. vulnus lugenti mihi, mæstissimi elegi tui nescio dolorem acrius intenderint flebilibus modis, an nobilitate dolendi mestitiam absterserint. Nam & lugenti lachrimas commodaui, & transcriptam sideribus ingentem animam tua apotheosi gratulatus sum. Verùm Achilles noster pro Troia, ante Troiã oppetijt, sed mitis, sed exorabilis, totius barbariæ domitor, Europæ atq; Asiæ terror, aquis, & flammis ad sidera missus: hoc ipso quod in te incidit neutiquam Homero inuidens. Non ergo fletum sed admirationem carminibus tuis impendi: cum præcipue victor ille ac triumphator, vt quondam Magnus secutus conuexa Tonantis,

Semustaq; membra reliquens

Degeneremq; rogum .... æternos animam collegit in Orbes.

Ergo Heroi feliciter: sed & vati beatè: illi a virtute parta, huic ab ingenio parata immortalitate. Vale & salue.

GEORGIO ARCHIEPISCOPO ERBERDVRENSI Galliarum Regis Legato. Venetias.

QVod maximorum Regum.

Auspicijs totum confecta duella per Orbem

Claustraq; custodem Pacis cohibentia Ianum.

oculis tuis admouere ausus sim, id facilitati tuæ imputabis, atq; in nostra culpa tibi ignosces. Alterius enim Regis sicut maiestatem isthic proxime refers, ac laureatos tripodas mouens, salutis oracula sapientissimo Senatui enuncias: ita illius, qui Gallicæ gentis fata moderatur, & cui pacatus Orbis se totum debet, mens atq; imago, cunctorum ora in te circumagis, & scribentium studia, ac vota prouocas. In illo Galliarum sidere, ac naturę miraculo, laudes tuas

tuas agnosces, cuius sicuti merita propè æquasti, ita purpuræ, ac titulis proximè accedes. Neque hic tenuitatem meã, atq; infantiam excusauerim. Sublimia diuinæ Pacis consilia satis est, si more sacrorum, simpliciter, castèq; memorẽtur & per ipsa, mea in Gallicum nomen reuerentia constet. Si calculum tuum ferent, haud indigna putabo, quæ ad Heroẽ transmittantur, illiusq; adytis sacrentur. Non postrema in parte tuarum laudum censebitur, te ingenia fouisse, quorum hodie Princeps haberis. Vale.

DANIELI IVSTINIANO
Senatori.

EN tibi anniuersarium nugarum tributum, atq; aridam ineptiarum strenam. Nisi ego te intus, & in cute nossem, merito vererer, ne ad hęc frontem adducens, nauseares, aut tardipedi Deo voueres, infelicibus vstulãda lignis. Verum in culpa tua mihi ignosces, qui hæc non solum admittis, sed prouocas. Ergo non ista modo, quæ circumrodis voranda sunt: verum iterum sequestris, ac diuisoris munere fungendum, ne solus stomachere, vtq; tuo nomine, superbæ auris fastidium ferant. December est. Io saturnalia: quibus etiam frictum cicer, & nuces donabantur, & saliente mica litant, qui non habent thus. Ego interim post tabulam latebo, & si quis vltra crepidam, ad tuam humanitatem ac sapientiam prouocabo. Vale.

EIDEM.

NIsi me tibi tantum debere profitear, quantum nunquã soluendo futurus sim, ingrati animi notam haud effugiam. Sed ad innumerabilia merita, quod fieri non posse putabam, hoc ipso ingens cumulus accessit, quod mihi Dominicum Zanium conciliasti, virum naturæ dotibus ac magnæ

fortunæ ornamentis instructissimum, & vt omnia vno verbo complectar, tui simillimum. Mitto ingenium peregrinationibus, atque Hispanicæ aulæ longo vsu excultum, pectusque generoso honesto incoctum, optimarum literarum peritiam supra ætatem, ac fortunam, sales intra pomæria natos, iocosque innocuos Iberica grauitate condîtos. Sola comitas ac singularis facilitas capit omnes, nec capitur. Me quidem adeo sibi deuinxit, vt vnius, atque alterius congressus imagine quotidie animum oblectem. Quod si vt scribis illi placeo, si placeo tuum est. Tu me in adyta induxisti. Vtri igitur plus debeam ignoro. Sed vos sanguine patrueles, genio indiuidui, sapientia, & de literis benemerendi studio pares, vnum mihi Numen estis. Ergo vota coniungam, & contra Augurum legem vnam duobus aram, idem sacellum constituam. Valete.

FEDERICO BORROMEO PATRIARCHÆ Pontificis M. ad Heluetios Legato.

NOn obliuione officij, sed celsioris fortunæ reuerentia a me hactenus, Domine, cessatum est. Nunc quoque hęc tibi sistere, & vetus nomen dissoluere idem pudor vetaret, nisi tu reddi postulasses, ac veluti manum iniecisses. Hęc tua sunt. Nam domi tuę, quę semper virtutis hospitium, ac literarum Prytanęum fuit, edita videri debent, quę in magni patrui sanctissimo contubernio concepta sunt, cujus auspicijs, monitu, ac liberalitate, hanc studiorum rationem non infeliciter ingressus sum.

Eius interitu sicut literę ac disciplinę corruerunt, ita ipse hoc fulmine concidi: grauiore iactu, postquam nos fortuna disiunxit, ac per diuersa terrarum distraxit. Et te quidem ad honorum eximia, gentile decus, ingensq; nomen capessendum, atque in spem Reip. Christianę erexit: me sub alio Cœlo studijs inertibus, atque vmbraticę disciplinę affixit: vt

vt quantum tu patrui vestigijs, cuius nominis auspicium implesti, insistens, de humano genere bene mereri pergeres: ego laudibus tuis insudarem, ita genti tuæ obstrictus, vt mei potius, quam Borromeæ domus possim obliuisci.

Id peculiari opere, quod tibi inscriptum excuditur testatum esse volui: vt hæc tumultuariâ operâ contracta in antecessum darem humanitas tua compulit, in quibus, si quę expectationem fallent, imbecillitati imputabis, si quid vero occurret, quod oculos tuos moretur, veluti vernaculum fętum excipies, ac patrui disciplinam agnosces. Vale magnæ spes altera Romę, quodque titulis omnibus pręcellit FEDERICE BORROMAEE.

EIDEM LVCERNAM.

INgenti gaudio, ac rubore perfusus sacros literarum apices, florem eloquentiæ ac lumen admiratione timidissima osculatus sum. Quippe hinc maximi patrui imago gestientem animum pertentabat, vt nondum totis perlectis exclamarem.

Sic ille manus, sic ora ferebat.

Inde laudibus oneratus, ac pene obrutus me ipsum extra me quærebam. Et singularis quidem humanitatis exuberantia, nec noua mihi, nec inusitata accidit: ceterum orationis cultus & acumen ita me cepit, vt vix crederem, ac veluti oculorum fidem tentarem, quo pacto tu amplissimis Legationibus perfunctus, tot curis districtus, tantarum rerum molimine incorruptum Latini sermonis nitorem comparare potueris, tantumque in scribendo profeceris, quantum vix assequantur, qui in eo ætatem contriuerint. Macte igitur ingenti virtute: non solum nomine, omnibusque animi, & corporis dotibus patruum reddidisti, sed eximiam illius eloquentiam veluti natiuam notam regenerasti, ac ne quid ex magna illa anima hodie desideraremus, effecisti.

Hoc quidem tu patriæ ac ſeculo præſtas: me nouum munificentiæ exemplum tibi arctius obſtrinxit: quod patruum meum ſenem optimum, qui longiſſima vitæ ſpatia, fide, atque induſtria, ac demum oculos domus veſtræ obſequio impendit, ſubleuaris, nec vno ſolatio atque emolumento affeceris, ac veluti tumulum coronaueris. Id totum tibi ego debiturus ſum: beneficij in me collati magnitudinem hoc ipſo teſtatus, quod non modo rependi, ſed ne verbis quidem exprimi poſſe ſentiam. Sic Tyria ſtamina fatales diuæ approperent, quod vnum deeſſe tibi vniuerſus Orbis intelligit, ac diu deberi conqueritur. Vale.



EPISTOLÆ
NVNCVPATORIÆ
Aliorum nomine ſcriptæ.

DESI

PRI



menta in pa
dacio fauen
tu fortuna c
educuntur ma
seque cito d
tatis interes
standum est
bi adolescit
nascuntur: c
virtutis rudi
Princeps po
reptet, stati
Tu quoqu
cipalis incre
fusa, pro ne
mnos capta
motitation
pete: nam c
Immo nihil

Liber de Institutione Principis

DESIDERII E. ANTONIO PRINCIPI TRIVVLTIO NVNCVPATVS.



Erculi in cunis vagienti immissos angues in stirpis atque indolis experimentum, teneráque manu elisos, senioris æui miratrix fama vulgauit. At tibi Infanti Principi prima crepundia *Principis Institutionem*, magnæ fortunæ omen, nec degeneraturæ virtutis elementa in patriæ spem sacrare, obsequij seculo suo sine mendacio fauentis, pars est. Vt enim natales vestros priuato ortu fortuna discernit: ita festinato rationis vsu, vbi primum eduntur magnæ animæ, illico capaces fiunt institutionis, seque cito dant fatis, quos sero terris eripi, publicæ felicitatis interest. Neque per lentas educationis moras expectandum est, vt rudis ætas deformetur, quæ seculo, non sibi adolescit. Tardo ductu finguntur mentes, quæ in turbam nascuntur: quos fortuna supra cæteros extulit, vitæ simul, ac virtutis rudimenta ponunt. De nutricis vbere Musarum lac Princeps potet: prima sapientiæ verba conetur, per libros reptet, statim fiat, quod diu futurus est.

Tu quoque magne Infans, Heroum suboles, fastigij Principalis incrementum, summi scriptoris dictata, lacteo stylo fusa, pro nęnijs imbibe, libroque huic incubans securos somnos capta, sicut ille Ioue satus apud Theocritum, clypei motitatione, cunarum vice, quiescebat. Hinc tu præcepta pete: nam domi abundè exemplorum est, ne foris quæras. Immo nihil hic leges, quod in auorum annalibus non extet:

liberque hic te ad laureatas faſtorum paginas manu ducet.

Implebit animum capacem & ſuffecturum ANTONII, cuius nomen non interrupta ſucceſſione refers, imago, qui pro patria exercitus Imperator, ab Pontifice Sixto IV. ſupremo eodem titulo decoratus eſt. Huius filius IACOBVS, grande claritudinis adiumentum, magno parente clarior, toties magnorum exercituum ductor inuictus, Regiæ maieſtatis Tarrenſi prælio periclitantis aſſertor, diſciplinæ militaris, atque Italicæ gloriæ iam tum exoleſcentis, atque intermortuæ reparator, inter imperia, ac triumphos ſenex factus, Magni cognomen etiam hoſtium confeſsione promeritus.

Sed ne domeſticos Heroas ab vltima origine arceſsas, geminum tibi præſens inuſitatæ virtutis exemplum ſuperi admouerunt, Auum, ac Parentem, in quorum acta, & laudes de proximo erudiaris. Theodorus in Romanum Senatum iuuenis allectus, purpuræ decus addidiſſe viſus eſt: nec tam pacis, quam belli artibus eminentiſſimus, Catholici imperii ſummæ ſemper immixtus, negotiis par, neque vltra, dubitantis fortunæ mora, triſtiſſimis, ac difficillimis temporibus, non vnum Regnum fidum, tutumque Regi ſuo præſtitit. Diem illam triumphis omnibus anteferendam! Cum Siciliæ Prorex, incredibili virtute ac conſtantia, dirâ, atque implacabili tumultuantis populi ſeditione compreſſa, fœdaque tempeſtate, quæ propè ſuprema prouinciæ fuit diſcuſsâ, inter acclamationes, ac vota, totius Inſulæ non tam gratulatione, quam humeris ouans Panormum inuectus eſt. Inde citerioris Hiſpaniæ Regia procuratione functus in Vrbem miſſus, vt in eum Catholici Imperii ſumma reclinaretur.

Hercules parens ab eodem Rege maximo ad maximum Pontificem Legatus nō minima acceſſio maieſtatis eius creditus eſt, cuius ditio ad vtrunque Solem porrigitur. Orationis, ac morum dulcedine Hercules vere Muſagetes, qui

post tot Triultiæ gentis miracula, cum aliquid atauis maius polliceatur, ab the virtute vinci non recusat. Ergo

Aggredere magnos, aderit iam tempus honores

Atque ita maiorum facta imitare, vt difficilem laudis æmulatum posteris facias: hocque demum auorum titulis accedat, vt ad tui exemplum INSTITVTIO PRINCIPIS, exigatur. Vale.

Liber de Vipera M. Aurelij Seuerini Ferdinando II. Magno Etruriæ Duci Inscriptus.

QVod tenues & obscuros ingenij fœtus Mediceæ domus sacrario sistere ausus sum, nihil mihi debes, Ducum Dux Magne, nec Etruriæ modo sed literarum, atque omnis sanctioris disciplinæ Princeps Optime, quique titulus nunquam domi vestræ consenuit, literatissime. Ex quo enim maiores tui tam Italicæ libertatis, quam disciplinarum reparatores felicissimi, errantibus Musis domicilium in ea vrbe fixêre, ex qua quondam Romana vis sacrorum ius omne, ac disciplinæ auguralis scientiam petijt, nemo non literarum laude clarus ingenij sui monumenta, totumque erudiendæ posteritatis negotium istuc transmittere, vestrisque penetralibus sacrare instituit, satis claritudinis fore ratus, si in Musarum templa admissus, in partem Etruscæ maiestatis veniret, decusque inde duraturum acciperet, redderetque. Scilicet grande laborum pretium, ac virtutis destitutę solatium habebatur, Mediceum nomen publicatis ingenijs præscripsisse, certa non inter morituræ famæ fiducia, & quadam immortalitatis nota. Satis præterea tutum se quisque aduersus seculi liuorem, atque ingeniorum venena existimabat, si librorum fronti COSMI vtriusque, LAVRENTII, LEONIS X, aut FERDINANDI nomen præfulsisset, quos non hominum, sed virtutis titulos, ac miracula nemo iam sine sacro quodam horrore cogitat, aut respicit. Ipse quo-

que extremas iam metas æui premens, exacta per literas, librosq; ætate, nec vno animi fœtu vulgato extremum hunc laborem legare tibi non dubitaui, vt in te artem feliciter desinerem, atque in opere vitam. Quod vt auderem singularis tua facilitas impulit, qua cum ingenia tueris, tum prouocas, & torpentibus vbique studijs, literisq; exteras oras, atque aliud Cœlum respicientibus, grassantem barbariem strenue submoues. Sed ea præcipue cura, qua solers naturæ parentis indagator regnum eius sedulo scrutatus, in eiusdem arcanis eruendis ærarium exhauris, ingenia fatigas, & quidquid illa toto Orbe dispersit in vnum contrahis, vt majores tui ingenijs famam: tu & libris materiam, atq; exemplum suppedites. Vt spes mihi sit quidquid ex serpente ferâ ad humani generis salutem commentatus sum, tibi eo nomine gratum futurum, quod non modo scelera, ac maculosum nefas procul habes, sed ex vitijs, hostibusque necatis Imperio pacem, moribusque MEDICINAM facere didicisti. Vale.

Hieronymo Frizimelicæ V.C.
Paulus Frambottus felicitatem.

NOuam Syntagmatis Anatomici Io. Veslingij editionem cur tibi inscriberem non vna causa fuit Vir præstantissime. Ea præcipua quod penè solus hac tempestate viri illius nunquam satis laudati triste desiderium lenire, explere vicem, locumque tueri in hac florentissima Academia potes. Eadem ingenij ac doctrinæ præstantia, non minor bonarum literarum cultus, gemina eruditæ vetustatis cognitio, sollertia, atque eloquentia propè par, idem de posteritate benemerendi studium. Publicus præterea fauor, studia Iuuentutis, oris digni tas, & ignotis quoque obuia comitas, & reliqua quæ quondam Veslingij fuerunt, tui iam propria efficiunt porro, vt sublatum ex oculis Veslingium

mitius

mitius feramus.

Arctiſſimus etiam familiaritatis nexus id optimo iure ſibi vendicabat, qui ſimilitudine ſtudiorum ac morum vos iunxerat, ac pene in ſanguinis ius coaluerat, vt ne morte quidem quæ cuncta diſſoluit, diſſilierit. Pergis quippe tu obſtinata fide memoriam defuncti proſequi, parique obſequio manes veneraris, quo in humanis degentem, mutuum faciẽs colebas. Ita ille fatis depoſitus tam ſua virtute, quam tua pietate & commendatione viuit, ac viget, memoriamque apud poſteros obtinebit. Spectatur publice celebri in loco coniuncta vtriuſque veſtrum imago nobiliore titulo. *Nunquam animo diuiſi.* Macte virtute, hanc animorum mixturam nulla ætas diſſociabit, nouum amicitiæ par Latinæ literæ loquentur, laudes quoque miſcebitis, opuſque hoc tam Veſlingii quam tuum credi poteſt, tibique non inſcribi, ſed reddi.

Itaque e re tua eſt, nouâ magni ingenij monumentorum publicatione extincti memoriam prorogari in æuum, cum nouis gloriæ communis incrementis laus tua efflorescat, virtuſque æmulatu acuatur, nobis ipſo periculo quotidie gratior. Quando recenti adhuc Veslingii luctu, te ipſum etiam penè amiſimus, non fati lege, ſed Principis optimi, ac maximi deſiderio. Nam cum ſeculari anno pietatis ergo Romam veniſſes licet indiſſimulationem tui conditus, latere tamen non potuiſti, ſtatim cognitus, ſtatim Pontificum optimo expetitus, atque ampliſſimis præmijs ſollicitatus. Sed tu inſigni moderatione, raroq; exemplo tantas ſpes, ac votorum ſummam huic patriæ, atque Aeternæ Reip. obſequio donaſti. Itaque reditus tuus, & priuato gaudio, & publici affectus teſtificatione celebratus eſt.

Hæc igitur tibi Aduentoria erit a me diu non vno nomine debita ſingularis obſeruantiæ teſtis in te, ac domum tuam magno ingeniorum prouentu ſemper fœtam, vetuſtate originis, fideque in Venetum Imperium cum qualibet certatu-

ram.

ram. Hæc tamen amici ſcripta ita tibi nuncupantur, vt ingenij tui monumenta prouocent, quæ non diutius premi Reip. literariæ intereſt. Noſtri certe typi nomen tuum toto Orbe laturi iam geſtiunt, decuſque inde, ac patrocinium ambitioſe captant. Monet te Veslingius, vt properes. Tota tibi debebuntur, quæcumque heredem non expectabunt. Iſta interim æqui bonique conſule, & Vale.

Ampliſsimo Philoſophorum, ac Medicorum
Patauino Collegio
Paulus Frambottus F.

NVnquam ego auſus fuiſſem veſtro huic ſapientiæ ſacrario me ſiſtere, hocque ſalutis Oraculum loci maieſtate, ac vetuſta religione toti Orbi expetitum propiùs adire: niſi Ludouici Septalij viri præſtantiſſimi Medicum opus typis meis recuſum trepido mihi, atque obſcuritatis meæ conſcio ad hæc penetralia aditum aperuiſſet. Priuatus ego quidem & populi pars: ſed in Vrbe ſapientiæ, & literarum altrice eam diu artem factitaui, quæ immortali Dei beneficio magnorum virorum monumenta intercidere non patitur, & contra æui impotentiam ingeniorum fœtus extendit in æuum, chartâque quâ nihil fragilius, & plumbo minutatim ſecto temporis voracitati ferrum, ac marmora exedenti obluctatur.

Poteſt quidem Medica ars, & felicius nuſquam, ægris corporibus opitulari: ſed raro mortem ſubmouet, nunquam in totum auertit. Ars noſtra longe fatum arcet, & ceſſuris fato Medicorum monumentis, non modo medicinam facit, ſed ſenio victas, putreſque & cum tineis luctantes chartas reparat, atque Aeſonis inſtar ſine ſuccis, atque aheno recoquit, ac iuuenta donat. Perierant ferè Septalij Cautiones Medicæ quo nullum arti vtilius Opus poſt artis parentes editum conſtat. Eas ego a ſepulchro, & pollinctorum fa-

ſcijs

ſcijs expediui, atque obſtetricante prælo luci redditas Io. Rodio magno nutricio in manus tradidi: a quo non ſpiritum modo, ſed ſuccum, ac ſanguinem accepêre, tam liberali incremento, vt hoc vno ſacratiſſimo veſtro cœtu dignæ videantur. Auocauit tantiſper a ſtudiis altioribus Rodium hæc cura, ſtudiumque de humano genere merendi eum impulit, vt tenui hoc labore defungeretur, quo tempore doctiſſimis eius in Scribonium Largum vigiliis prælum meum inſudabat.

Hinc ego ſpes quoque meas extendere auſus ſum, & geminos liberos ante ora veſtra ſupplices producere, Hygiæ ſacris, cum per ætatem licuerit initiandos. Ne hæc vota, aut improba ſint aut irrita, humanitas veſtra præſtabit: ego votorum ſummam attingam, ſi libros meos, & liberos placido lumine aſpicietis. Interim vos Deus ſoſpitet, ſine quibus nos ſalui eſſe non poſſumus.

Gregorio Barbarigo Patricio Veneto Paulus Frambottus F.

LAurentij Pignorij V. C. Commentarium de Seruis denuo vulgaturus, non diu circumſpexi, cuius nominis fulgorem typis meis aduocarem. Tu enim non natalibus modo, ſed ſapientiæ ſtudijs inter omnes eminebas, a quibus Operi commendatio accederet. Quippe principe familia in ea Vrbe editus, in qua cum nemo vnus dominus ſit, nullus eſt ſeruus, niſi vitijs nexus. Sed tu inter maxime liberos tui potens, tibique imperioſus, reſponſare cupidinibus, contemnere honores fortis, totus denique tuus. Imò & ſi alieno arbitrio addictus in ſeruientium grege captiuum ſpiritũ traheres, illico philoſophia, atque ingens eruditio vindicias ſecundum libertatem dediſſet: cum nemo hodie melius corporis ſeruitio, animi imperio vtatur. Cuius ante paucos dies nobile documentum dediſti, quum vt liberior eſſes,

ſan-

ſanctioris vitæ inſtituto Chriſti iugum ſponte ſubiiſti, atque vni Numini ſeruiens libertatis pretio pro ſalute decidiſti. Quotus enimquiſque hodie æquo iure viuentium bona fide ſolutus eſt? alijſque imperans, rerum imperijs tot tantiſq; minor, non aut voluptatibus ancillatur, aut lucro auctoratus, aut flagitijs obſtrictus, aut libertorum ſuorum ne frugi quidem mancipium demiſſius ſeruit, quam qui de catasta emptus eſt? Plurimi nullo liberalium diſciplinarum cultu in inſcitiæ, ac ſocordiæ neruo ætatem degunt, ea parte hominis vincti, quæ ſi erudiatur, in ergaſtulo, ac compede, & ſub Tyranni ictu maxime libera eſt. Tibi ergo vere libertatis patrono hunc venalium gregem, nomina ex iniuria nata libens ſiſto, vti liberali cauſa aſſeras manu, ſed magis animos mortalium, innocentiæ exemplo, cui vix vllum par habemus, flagitiorum captiuitate eximas. Sic te eximie dilectum ad pileum vocet rerum dominus, idemq; Numini ſeruientium ſeruus.

Guido Feramuſcæ Gymnaſij ProRectori.

CVm tibi nouum hoc Academiæ regimen cuncti mortales gratulentur, ipſæque literæ, ac diſciplinæ auſpicijs tuis recreatæ renideant, votis quoque meis locum fore ſperaui, æquo ſcilicet animo laturum te, ſi nouæ huius Opuſculi editioni clariſſimum tuum nomen præfigerem. Spondebat hoc tua omnibus obuia facilitas, atque amoris promerendi ſingulare ſtudium, & efficax. Nam ingenij tui dexteritatem, anniſque maiorem prudentiam Rectorum Vrbis teſtimonio non ſemel commendatam, publicæ tranquillitati ſalutarem, magna ſcriprorum ingenia, victuriſque lapidibus inſcripta teſtimonia poſteritati tradent. Mihi ſatis fuerit hanc artem ingeniorum miniſtram, ac literarum propagatricem factitanti, typis hiſce meis immortalitatem augu-

tum

tum esse, quam tu generositate, & flagranti omnium ordinum gratia adipiscêris. Vale.

Joanni Pindemontio I.C. & Patricio Veronensi.

IOanni Muttonio rara indole, atque animi altitudine ætatem supergresso, virtutis, ac vigiliarum quadrigis immortalitatis Capitolium inuecto, Patauinæ Musæ tantum decus gratulatæ sunt. Nos eius triumphum secuti, non incondita carmina & militares iocos assueta licentia fudimus, sed industriæ ac sedulitatis, simul modestiæ testimonium prębuimus. Nam ille laurum, non in Iouis Capitolini gremium, sed in sinum tuum deferre optauit, quem Iouis instar in dicendo tonantem, & cuncta cum voluptate miscentem Vrbs nostra suspicit, exteri venerantur. Vt scilicet, cum tu quotidie reorum patrocinio ciuicam merearis, laurus quercui misceatur, & futuro Oratori, magnus Orator nobile facundiæ præsagium struat. Has ergo tibi Laureatas victorię nuncias inscripsimus, simplicissimi affectus, ac venerationis testes, vt surgentem in occulto patriæ spem foueas, memoria consiliorum, atque operum tot vota producas, infantiam nostram parentum more exosculeris, nostris demum inepijs aduocationem commodes. Nam vt cum Catullo nostro absoluam, quanto peiora hæc erunt, tanto tu optimus omnium patronus. Vale.

Bertuccio Valerio Venetiarum Duci Serenißimo.

ETsi confecto mortalis æui spatio, nihil est, quod me diu vixisse pœniteat, hunc tamen viuacis senectæ fructum, gaudiumq; fero, quod te antequam mors lumina obsignet, quæ votorum summa fuit, in rei Venetæ fastigio collocatum

video. Bene habet. Satis iam vixi, ſatis vidi. Nil vltra moror paratus fatis manum inijcere, & quod lucis supereſt, vel ſuperis donare, vel tibi. Interim munus aliud, quod tibi gratius fore puto in diſceſſu offerre propero, atque adytis tuis donarium appendere, fratris ſcilicet mei ingenij monumenta. Vt qui ſęuiſſimi belli noctem, ac diram tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcutis, his quoque ſtudijs in vmbrâ educatis lucem fęneres. Munus tanto faſtigio impar; ſed non abſurdum, ſi quis diuinam tuam facundiam, interiorem literaturam, atque incomparabilem ſapientiam reputet, quæ te ante Principatum reliquis ciuibus ſuperuexit. Sic Deus immortalis Remp. in meliorem ſtatum conuertat, quo præſide literæ, ac diſciplinæ e tumulo caput attollere incipiunt. Vale.

Bertuccio Valerio Venetiarum Duci Sereniſsimo.

MEdicam facultatem aliquid habere diuini non inde modo conſtat, quod vna diſciplinarum Deum dederit, quodque olim oraculis, ac viſis reddebatur: ſed quod æmula diuinitatis ægros ſeruare mortales, atque ab interitu vindicare aut didicit, aut docuit. Qua prærogatiua, Principum, qui Deorum vicem in terris gerunt faſtigium proxime accedit, penes quos vitæ neciſque mortalium arbitrium eſt. Sed neſcio quiddam maius, ac ſublimius iactat, quo veſtræ Reges, ac Principes valetudini quoque conſulit, ac ſaluti operatur, quorum ore tot mortalium ſpiritus trahitur, vnde humani generis ſalus pendet. Quoties morborum occulte graſſantium inſidias ægrique corporis vitia lictoris virgas ac ſtipatorum agmen non ſatis ſubmouent, quominus inter geniale fulcrum & ſtragula, ſerpentes, cutarum pondere feſſos torqueant, ac mortalitatis admoneant.

Non parum eſt quod a priuatis, atque obſcuris capitibus ſu-

ſupremæ poteſtates expectant, quibus prius quam ſuperis preces delegent. Quo vita charior ijs eſt, quibus tot viuendi pretia fortuna indulſit, queis pereuntibus mortales incolumes eſſe aut non poſſunt, aut nolunt. Inde ſpes mihi, commentationes haſce medicas ſacris penetralibus admiſſum iri, ad quæ non medici modo veniunt, ſed vocantur. Id vt auderem quadam ſi dicere fas eſt artificij ſocietate impulſus ſum, quando Principes humanis rebus medicinam faciunt.

Inter quos tu emines, cui affectum grauiſſimi, ac dificillimi belli languore, totque annorum tabe Reip. omnium maximæ corpus curandum ſuperi tradidêre. Nec tu Deos, aut homines fefelliſti, & cum medendo Aeſculapiũ referas, literarum cultu, atque ingeniorum tutela Apollinem reddis, cuius longe iaculantis tela, & concuſſam humeris pharetrã immaniſſimi hoſtes, te præſide domiti fractique quotidie ſentiunt, ac diffidunt ſibi. Vale ergo vt vna tecum res Veneta, & Chriſtianus Orbis conualeſcat.

Andreæ Zanino Syndico Prorectori.

ANgelici Doctoris laudes rudi Camœna complexus, cur alij, quam tibi id opus inſcriptum irem, qui ſpecie, ac moribus Angelum refers? Ea frontis dignitas, is oculorum vigor, ingenuique pudoris purpura, atque ex oris ſpeculo animus erumpens, comitate, ſolertia, cunctos ſibi concilians, pacis & lætitiæ ſequeſter: quales beati illi genij, superûm internũcij, precum arbitri, ac cęleſtis commercij proxenetæ, ſemper benefici, ac ſalutares æuo fruuntur ſempiterno. Eos tu hac Gymnaſii Præfectura æmularis, nobiliſſimæ iuuentutis moderator, viæque dux, quæ ad immortalitatem ducit, periculorum depulſor: idem inter Principem qui Dei vicem gerit, ac ſubiectos medius, munerum diſpenſator, atque vt omnia vno verbo complectar, bonus quidam

Academiæ genius, atque astrum temperans Angelus. Sed ne quid tibi desit ad decus, breui Doctoris titulos assequere, eodemque tempore seruati Gymnasii ciuica, ac triumphalis laurea tempora inumbrabit. Id omnes augurantur, & pro tam læto nuncio Euangelia vouent. Vale.

Nicolao Capello Patauij Præfecto.

CVm tu dono diuum Vrbis nostræ tutelæ, speique admotus in purpura auspicato annum aperias, nouis titulis fastorum paginas aucturus, inter vota atque acclamationes tibi fausta omnia adprecantium, ausus sum & ipse rato felicitatis omine pauperem strenam appendere, selecta Iurisprudentiæ effata, te præside ad disputationis momentum exigenda. Vnde enim opportunius ineuntis anni primordia, quam a Iustitiæ templo capiantur? Cui melius decreta prudentum, ac Principum responsa dicentur, quam qui Iuris & æqui summus arbiter, ac dispensator, populorũ fata partitur, qui terris Astræam exulantem Cœlo deuocat, quique prius lex est, quam leges statuat: ad cuius exemplũ iura exiguntur? Hæc igitur non Themidis, sed Oraculi tui responsa omnes facile credent, qui te nouerunt, ipseque eorum interpres, redditas adytis tuis sortes, queîs vita regitur, non viribus aut ingenio, sed templi maiestate, ac Numinis tui afflatu propugnabo.

Baptistæ Nanio Senatori Veneto.

QVi te summæ rei admotum interpellare, atque a publica Statione, & custodia libertatis auocare audent, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. Quanquam nemo ignorare potest, magnam fastigii tui partem esse sapientiam, cui tu tantum debes, quantum tibi publica res debet, quantum posteritas debitura est. Tuus inge-

Ingenii vigor, quo tumultuantis Orbis turbis par es, & conſilij maturitas inde eſt: illa vero dicendi vis admirabilis, qua non ſolum regnantium animis imperas, ſed cuius miraculo Galliam, atque Germaniam obſtupefeciſti, quid aliud eſt quam copioſe loquens ſapientia? Ergo qui veterum ſapientum effata tibi nuncupat, ac ſacris certaminibus te Agonothetam optat, ille te in templa tua inducit, nec tam a publica vigilia deflectit, quam lætiſſimo pabulo reficit, ac renouat, atque antiquis ſtudiis, teque ipſum tibi reddit. Eſt iſta quidem animorum concertatio, atque ingeniorum pugna, ſed hoc opinionum æſtu, ac ſententiarum diſſidio in id omnes conſentimus, vt quemadmodum tu inter paucos non verbis, ſed re philoſophum præſtas, ita beatam eſſe Rempublicam, in qua principes minime ambitioſe philoſophantur. Vale.

Nobiliſsimæ Nationi Polonicæ Sodales Franciſcani felicitatem.

VEſtra ſingularis pietas, qua non ſolum in patria rem chriſtianam aduerſus publicos hoſtes oppoſitu pectorum tuemini, & contra nefaria dogmata vitæ pretio propugnatis: Sed in hac Vrbe ciuibus atque exteris innocentię, atque incorruptæ religionis exemplum eſtis, ſpem facit preces noſtras nequaquam irritas fore.

Ex quo præpotens Deus tẽplũ noſtrũ delegit, in quo admiranda, atque humanum captum ſupergreſſa clementiæ, & æternę bonitatis ſigna præſenti Numine ederet: ac ſacroſancti capitis auguſtiſſima imago ex ignobili pila dependens, benefica ac ſalutaris affulſit. Quod votiuæ tabellæ, quæ toto delubro vix capiuntur, declarant, in tot effictæ formas, quot peſtes ſæuique caſus, ac morbi in corpora humana graſſantur. Ex eo inquam tempore, æquum eſſe cenſuimus, peculiare ſacellum, ac Numinis maieſtate dignum extruere,

in quo ſacri vultus confluentium ex longinquo populorum turbis religioſius adorarentur. Id opus maioribus animis, quam viribus in paupertate, quam profitemur inceptum eſt: vt deſtinati conſummando operi ſumptus, vix in fundamenta ſuppeditauerint. Itaq; veſtras manus reſpicere, veſtram munificentiam implorare cogimur, vt peregrina liberalitas incitamentum ciuibus ſit conferendi ſtipes omnium bonorum largitori munificentiſſimo, qui non ſolum in hoc æuo exiguam ſummam multiplicato fœnore rependit, ſed tenue nomen inexhauſtis æternæ felicitatis theſauris expungit. Quod magnificentius colatur Numen vobis debiturum eſt: & inter auro renidentia toto templo votiua anathemata Sarmaticæ pietatis titulus radiabit. Valete.

Ampliſsimis Vrbis Patauinæ Decurionibus Paulus Frambottus felicitatem.

M. Antonius Peregrinus Iuriſprudentiæ miraculo, & inuſitatæ virtutis commendatione, veſtris maioribus expetitus, atque e proxima Vrbe ſuffragiis Curiatis veſter adoptione Ciuis factus, translatis huc fortunis omnibus, ac fixo lare, publicis muneribus admotus, in principum dignationem facile peruenit, fori lumen longe clariſſimum, Gymnaſii vox, & columen, mœſtis præſidium reis, Venetæ maieſtati conſilii copia propius adſtitutus, incertum reliquit, pluſne claritudinis acceperit, an refuderit.

In hac ille communi gentium omnium, ac literarum patria diu conſulenti Orbi par fuit, ac diuino inſtinctu Themidis tripodes quatiens, cęcas mortalium mentes non, vt olim Pythia implexis ambagibus, ipſa nocte, quæ prius loca inſederat obſcurioribus, eluſit, ac torſit: ſed apertis reſponſis luſtrauit, omnique caligine ſoluit. Exacta demum ætate, contractas in vnum fatidicas ſortes publici iuris fecit, extremumque vitæ laborem, ſenectutis fœtum purum, ac de-


feca-

fecatum Decurionibus inscripsit, grati animi, nec vulgaris obseruantiæ monumentum.

Ea Oracula vestris sacrarijs edita, exiguo temporis spatio Orbem peruagata, extremisque terrarum finibus excepta, non vt Sibyllæ folia ventorum ludibrio iactata: sed auiditate legentium, vt in Theatris missilia, distracta, admiratione, ac fructu consulentium dispersa, inter manus versantium penè perierunt, & vt ita dicam Iuris cortina obticuit.

Quare Themidis cultoribus rem non ingratam, vobis acceptissimam facturum me credidi, si veluti obducta Phœbi penetralia reserarem, grandiaque hæc prudentiæ effata typis meis denuo in lucem proferrem, & vestro amplissimo Nomini sacrarem: hoc est illa rursus Vrbi, Vrbisque principibus nouo cultu nitentia redderem. Vt scilicet vna opera optimi senis pene fugientem memoriam a situ, atque obliuione vindicarem, atque ingentium meritorum vestrorum, qua in patriam, qua in me ipsum imaginem veluti in bono lumine collocarem.

Nam iura legesq; sanctissime coli, vestra maxime interest, quorum virtuti ac fidei summa res commendata est, quique Delphico huic templo præsidetis. Et ipse vestro singulari beneficio, in pristinum typographici ministerij locum, vnde aliena iniuria expulsus fueram, restitutus sum. Cum igitur non alia re possem, ipso me artificij mei munere exsoluam, quod magna ingenia vetat mori: vnumque immortalitatis propagandæ, ac memoriæ posteris prodendæ instrumentum habetur. Valete.



65

RELIQVA FORMVLARVM

Ad petenda Doctoris Insignia.





dia sonans
treatum,
que obstet
diræ sortis
tum esse : i
scentibus.
Ita Aesc
superstes, i
pueritiam
ab ipso pa
nam, vt in
hominum a
Ibi morb
borumque
exercebatu
barum suc
abditum n
lium adole
Non enim
profligasse
sus mortis
tum claust





Vam sit exercita, atq; ærumnosa eorum vita, qui pro alienæ vitæ salute excubant, artisque diis ipsis inuidiosæ, tam audaci, quam ancipiti experimento vitam impendunt: vel vnus artis eius parens auctorque fidem fecerit. Hunc enim sublime, semperque grandia sonans Pindari os cecinit, diuino Apollinis satu procreatum, necatæ parentis vtero in ipso rogo ereptum, atque obstetricante flamma ante funeratum, quam genitum, diræ sortis, celestisque iræ præsagiis male vitam auspicatum esse: iam tum fatis in antecessum futuras iniurias vlciscentibus.

Ita Aesculapius matris postumus, & mortis filius, sibique superstes, ignisque patientia Solem genitorem referens, vix pueritiam attigerat, quum vt in artes patrias erudiri posset, ab ipso parente, Chironi Centauro traditus est in disciplinam, vt in scrupea schola, inter feras bestias seruandorum hominum artem, a biformi magistro perdisceret.

Ibi morborum propulsator futurus, longa malorum, laborumque serie flagelli metuens, ab semifero educatore exercebatur, specus habitator, vitæq; exul, locis solis herbarum succos salutares, demersa stirpibus remedia, terrisq; abditum naturæ regnum scrutatus, in spem ægrorum mortalium adolescebat. Sed plus didicit, quam necesse esset. Non enim contentus omne morborum genus medica manu profligasse, humani generis salus, ac mora fatorum, aduersus mortis imperium pugnare ausus, atque inexorata parcarum claustra perfringere, cum mortuum reuocasset ad vitã,

tanti facinoris gloria prægrauante, irati tonantis dextera ictus, inuidiæ superum satisfecit.

Hactenus lusere poetę, nosque pręceptis salubribus instruxerunt. Nam sicut nihil eius artis maiestate augustius esse potest, quę sola seruandis mortalibus certare cum superis ipsis potest, ac Deorum liuorem, si liuoris capax Numen esset, prouocare: ita non esse ad eam molle iter appareret, neque per segne otium, ac desidiam comparari: sed improbo labore, sed exercita iuuenta, sed perpetuis animi, & corporis contentionibus, sed vigiliis, atq; ærumnis eo rem deduci, vt ne maiora quidem a superis optentur, quam, quæ impetrantur a Medicis, cum eorum beneficia, præsensque rebus deploratis auxilium non semel diis adscribatur, atque vna eorum inuidia mortales fatorum leges expleant. salus Cœlo, mors medico imputatur.

Qui ex celso huic operi destinantur, illico a matris gremio abstrahendos, ac veluti ab vbere reuellendos esse discimus: ne molli educatione spiritus relanguescat: ex hominum consortio amandandos, quibus hominum salus creditur: omnem aliam curam omittendam iis, qui inter experimenta vitam acturi sint: celebritate, ac frequentia submouendos, ne quid temporis depereat, aut voluptatum illecebris auocentur: quando longę arti, vita breuis & si tota impendatur suffectura non sit.

Melius tamen ætati nostræ consultum est, qua non ad Centauros rupices, ac siluicolas monstrorum eruditores, neque ad stabula alta ferarum, petendis artis salutaris præceptis iuuentus ablegatur, sed in hominum cętu, ad salutem hominum informatur, & a summis huius æui, ac mansuetissimis ingenijs in spem ægrorum mortalium mitigatur.

In hæc vota ipse, & collega meus iuuenis ornatissimus, naturæ instinctu, optimique parentis consilio atque exemplo arrecti, ab ipsa pueritia vni huic curæ toto pectore incubuimus, tristi, atque horrida disciplina mediam vrbem

tan-

tanquam solitudinem incoluimus, nullis vnquam laboribus pepercimus, nihil ætati, nihil seculi blandimentis indulsimus, vt tandem in hæc salutis penetralia ad vestrum venerabilem consessum rite admitteremur.

Votis hodie damnati quas grates, gratiasq; peragamus, quibus obsequiis vos veneremur, præ gaudii magnitudine vix mentis compotes non inuenimus. Id vnum vobis, tibi præcipue Amplissime Siluatice, ingens seculi præsidium, cuius auspicijs, ac sapientia in hanc fortunam educti sumus, gratissimum fore confidimus, si re ipsa post hac tanto beneficio nos non indignos præstiterimus. Hoc est si quæ a vobis didicimus ad mortalium salutem, ad ægrorum tutelam, ad corporum calamitates ac pestes depellendas conferamus. Quod si hoc quoque virtutem vestram æmulari contigerit, vt deposita, & conclamata corpora reuocemus ad vitam, nos a fulmine, itaque Numinum Apollinaris laurea præstabit incolumes. Sicque tonare Iouem, aut non credemus, aut non formidabimus.

Dædalus, vt fama est, fugiens Minoia Regna
Præpetibus pennis ausus se credere Cœlo
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

AVdax Dædali facinus æmulatur quicumque tollere se humo, pennisque non homini datis vastum hoc Iurisprudentiæ Cœlum ingredi non dubitat. Per iter inuium atque insuetum fertur. Mille casus, ac mille pericula occurrunt, nec vna mortis imago oculis obuersatur. Nam si vano impetu rapiatur, inanisque gloriæ cupido existimulet, vt petat altiora, viamque ad Cœlum affectet, metuit ne liquescente cera, solutis pennis incassum lacertos moueat. Sin prægrauante inscitia, atque ignaua mole solum humilius radat, non longe abest, quin humentibus alis alta quærens profundo mergatur.

Ita anceps via, pene certum exitium. Quicumque Dæ-

dalum

dalum reſpicit, non poteſt non Icari meminiſſe. Vna ſalus, miſeri parentis monita, infeliciori nato non exaudita; cor di infigere. Medio tutiſſimus ibis. Hoc eſt neque alta nimis, & humanis viribus maiora appecenda, neque infra humanæ mentis decus ſpem abijciendam, & de ſucceſſu quem animo deſtinaueris, deſperandum.

His ego præceptis inſtructus, huic Cœlo me credere auſus ſum, veſtri fauoris Patres optimi adflante aura, errorum, atque inſcitiæ captiuitatem effugi. Redditus his primum terris, adoratis ſideribus, quæ magno conatui propitia fulsêre tibi, Vir præſtantiſſime, remigium alarum ſacrare conſtitui, caſuum meorum, ſed & beneficij tui monumentum. Nouum votiuæ tabellæ genus, aliquem ex Cœli naufragio ereptum eſſe. Cum ipſe, & ratis, & vector, proreta, & remex, vaſtum aëra præciderem non aliud ſidus reſpexi. Alij ergo fractæ nauis coſtas, malique truncum, & claudas palmulas ſalſipotenti Deo appendant. Ego Phębo ac Themidi extra mare, naufragi vota perſoluo.

VLyſſem decennalis obſidionis laboribus fractum, totidemque annorum errore terra, ac pelago iactatum, ipſaque peregrinatione ſenem factum, tandem fugientis patriæ litoribus redditum præſides loci Nymphas, telluriſque genium adoraſſe, ac ſolum quod reptans preſſerat pronum oſculis fatigaſſe Homerus vates prodidit. Tenebat ſcilicet terram illam, toties votis, etiam cum vltima facere expetitam, aſperam illam quidem & in hoſpitam, ſcopuloq; affixam, ſed quam in Dearum laſciuientium gremio ipſi immortalitati prætulerat.

Grande documentum natali ſolo nihil auguſtius, nihil ſanctius, nihil demum dulcius humanam vitam habere. Quæ contemplatio animi mei geſtientis lætitiam in immenſum auget, poſt tot annorum peregrinationem viſentis has oras, hocque cœlum, quæ naſcens tetigi, hauſique. Beneficium quo

quo ne maius quidèm a Dijs optare potui.

Vt lætus, ac lubens te patria adſpicio, voſque publici, ac priuati lares reuiſo: vt nutriculam caſam, conſciaq; natalium tecta gaudio diffluens ſubeo, iura ſanguinis, atque amicitiæ ſacra recolo: vt hæc Muſarum delubra, vix mei cõpos ingredior! Quodque votorum omnium ſumma ac complementum eſt Principis optimi, & clementiſſimi, cuius imago animo defixa peregrinantem ſecuta eſt, proximo aſpectu frui, cultuque obſequentiſſimo deuenerari conceditur.

Non me quidem, vt olim Ithacum Iliacus decennij labor detinuit, incertique caſus, ac mare naufragum per orbem diſperſit: ſed pietas optimo fratri comitem adiunxit, quem in celeberrimo Gymnaſio Muſis, ac poſteritati vacantem deſerere religio fuit. Eius diſciplinæ contubernio interim Aſtreæ ſacramentum dixi, ſtudiorumq; ac pietatis dulcedine captus, etiam in longum ſtipendia produxi. Deerat votis laurea laborum leuamen, ac præmium.

Hinc petenda fuit, hinc capienda, non patrijs modo legibus, Principiſq; decreto, nec tam naturę ipſius inſtinctu, vt noſcitari ibi, honoribuſq; excoli cupiamus vbi reliquum acturi ſumus, quam in Principem ipſum officio, ac pietate, qui domum noſtram tot beneficijs obruit, vt cum Deo ferè paria faciat, cuiq; ſola meritorum profeſſione ſatisfieri poſſit.

Erant etiam alia quę me huc euocarent: trium fratrum exemplum quorum maximus natu hoc eodem in loco quindecim annos Themidis oraculis pręſedit, alter Prorectoris munere ſedulo, ac ſplendide functus eſt, tertius demum hinc lauream impetrauit, quam quarto penates noſtros ſubituram a vobis imploro. Cuius ſi beneficio veſtro compos fuero, nihil demum addi felicitati meę poſſe videbitur, pręcipue ſi eam abs te impetrauero N. doctiſſime, quem ſi Phębum dixero florente ętate Iuriſprudentię ſacratos tripodes mouentem, ac de eius penetralibus fata mortalibus nume-

rantem

rantem, ac studiorum amœnitate Iuris rigorem ac supercilium mollientem, denique Musarum aut parentem, aut alumnum dixerim nec fallam, nec fallar.

NAtalem diem quo primum in dias luminis oras editus quisque esset sacrum festumque veteres habuerunt, epulisque solemnibus, atque omni lętitię instrumento agitarunt. Siue grato animo aduersus deos, quorum beneficio vitę primordia auspicati essent, siue lęto omine in posterum, blandaq; spe plurium natalium numerandorum, ac per eos continuandi gaudij atque hilaritatis quotannis exercendę. Quod an recte institutum receptumque sit haud facile dixerim. Cum tristi naturę priuilegio, tot casibus, totque ęrumnis addictum moriturum hoc animal vitam a lachrimis ordiatur, siccis in ipso ortu ceterorum animantium oculis, diemq; vitę exequiis propriorem ducat, flens fortasse, vt ait ille non aliam ob causam, quàm quia genitum est.

Ita nullo calamitatum sensu futuris calamitatibus proludit, vitamque fletu ducturus lachrymas in antecessum pendit, & nondum natus funeris choragium instruit. Quare absurde atque intempestiue fecisse videntur, quicumque vitæ exordium, quo sæpe redeunte sensim vitæ metis adstruimur omni lætitiæ argumento exegerunt, dapibusque ac mero impensius genium curarunt, quem alioqui toto anno, quem ferme natalis occupat, raro defraudassent.

Sed is demum mihi vere semper vitæ ortus, atque auspicium visum est, non quo communi cum ceteris animantibus sorte in hunc orbem materno e carcere euoluimur, brutisque & superbiores & miseriores, in ipsis naturæ iniurijs voluramur. Sed quo rationis, animiq; cultu sapientiæ nascimur, ac primo inter homines, idest, inter doctos numeramur. Quid enim erat, vt cum Seneca loquar, cur in numero viuentium me positum esse gauderem? An vt cibos & potiones percolarem, vt hoc corpus casurum, ac fluidum, pe-

periturumque nisi subinde impleatur farcirem? otioque pallens ac sagina vitam morti simillimam exigerem?

Hæc vera vita est, qua vitæ pretia intelligimus, qua cum sapientia viuimus, immo propter quam. Verus hic nascendi limes per omnem honestæ voluptatis imaginem celebrãdus. Natali die mihi charior hæc lux, quæ Iurisprudentiæ veluti Lucinæ sacris renato, affulsit, qua mihi contigit vestris manibus tolli, vestro gremio excipi, eodemque tempore a vobis, Patres optimi, adoptari. Olim mortuo similis, soloq; luctu spirans, nudus in nudam humum eiectus sum, omnis humanæ opis egentissimus: nunc viuus ac videns cum vita, vitæ præsidia, atque ornamenta tam capio, quam sentio, incertusq; sum plusne parentibus, quorum fortuita voluptate satus sum debeam, an vobis, quorum prouido consilio, ac certa destinatione beatam vitam cum virtute coniunctam sortitus sum.

Et olim quidem viuendi originem celebranti ab amicis, ac propinquis munera mitti consueuerunt. Plena domus libis venalibus. Munere hoc vestro quid maius contingere mihi, aut improbis votis concipi potuit? Munus ipsa vita contra carum, pro quo si ipsam impendam, haud facile hostimentum sit. Et quoniam eadem die totius vitæ auspice genio quisque suo sacra faciebat, Tu mihi, vir præstantissime bonus certe genius, nec mihi modo, sed literis, ac disciplinis salutaris, tu vitæ dux, tu fortunæ astrum temperans, tu omnis felicitatis largitor.

Tibi ego non thure aut mero comprecabor: sed pura castaque mente testabor totius vitæ fructum iucundissimum futurum, qui tuis auspicijs tuaque tutela hodierna die ductus est.

Phillida mitte mihi, meus est natalis Iola

Hoc est mihi Iurisprudentiam concilia, in cuius contubernium adscitus videbor mihi bona fide priuatum genium placasse.

Sed publicos locorum atque Vrbium genios, rectores populorum, malorum depulſores ſemperque beneficos, ac ſalutares, quo pietatis cultu qua veneratione digne proſequar? Natalis enim huius lætitiam de induſtria cumulante fortuna geminos Vrbis huius præſides, & cuſtodes, Ledæa ſidera in hoc ſacrario contueri, & propitiare licet, quæ vbi primum hoc Cœlo fulſere, illico fęda tempeſtas, quæ prope ſuprema huic vrbi incubuit ſubmota eſt, venti poſuêre, fugatæ nubes, compreſſi fluctus, atque ex naufrago mari tot iam menſibus Alcedonia pontum tenuere. Ita hæc vrbs ſi non condita a vobis, certe ab interitu reuocata eſt, ac quodamodo renata. Hæc erunt veſtra Palilia. Ego geminato iam gaudio, die natali meo Vrbis natalem celebrabo.

AMicorum omnia eſſe communia hodie verbo magis, quam re comprobatur. Scilicet facilius inuenietis, qui aduerſa, quam qui proſpera cum amicis communicet, quique inter multos męreat, gaudia ſolus agitet. Et quanquam triſtis fortunæ vultus, vnum fidei experimentum ſit, ibique amici probentur, vnde fugiunt, male tamen ſibi conſulit, qui ante amicos experitur, quam facit. Ipſe Patres ſiue ſorte naſcendi, ac ſiderum conſenſu, ſiue occulto quodam genio, immo certo iudicio, ac deſtinatione, collegam hunc iuuenem ornatiſſimum ab ineunte ætate amaui, & colui, & ab eo redamari, mutuis officijs beneuolentiæ, aut optaui, aut merui. Vna primis literis ac diſciplinis quod firmiſſimum neceſſitudinis pignus eſt innutriti ſumus, vna adoleuimus, lætaq; ac triſtia miſcuimus, vna etiam ſeuerioribus ſtudiis animum addiximus, omnia deniq; dulci animorum nexu fecimus, vt illud comprobaremus, eam demum veram amicitiam eſſe, idem velle, ac nolle. Aequum igitur erat, vt vna laborum, ac vigiliarum præmium caperemus vna fidem tuam atque incomparabilem virtutem N. N. imploraremus, cuius manu lauream cępiſſe, votorum noſtro-

rum, ac dignationis complementum esset: vt vna demum Patribus præstantissimis gratias si quas debemus referre minus possemus, æternas haberemus.

QVantus esse solet lætitiæ impetus, atque effusa gratulatio nauigantium, quoties post creditam leuibus auris animam

Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto

post infamem maris fidem, cœlique intractabilis minas, ac ventorum rabiem, tandem optata arena potiuntur

Et sale tabentes artus in littore ponunt.

Haud absimili gaudio gestientem animum meum hodierna dies perfundit: cum tot iactatus casibus, post pelagi, cœlique labores, vestra benignitatis aura adspirante redditus his terris, vestraq; hæc templa ingressus, non maris potenti Neptuno, sed vestro numini gratias, gratesque lubens persoluo.

Non eadem tamen vectorum, ac proretæ, siue gubernatoris fortuna est. Illi pro sua quisquis, idest pro vnius, hic pro omnium salute sollicitus est. Vectores vbi hibernum increpuit sub nauis constrato pauidi mussitant. Gubernator habenis adsidens, diu noctuque clauum affixus & hærens nunquam amittit, oculosque sub astra tenet. Hoc caput ventique petunt, fluctusque & Cœli ruina deuouet. Secundum deos illius inuidia naufragium fit.

Eadem mihi sors hoc anno obiecta est Patres Amplissimi. Nam postquam inuitus Gymnasii gubernaculis admotus sum, ac ducente deo vastum æquor ingressus, delecta florentissimæ pubis corpora in aurei velleris, hoc est sapientiæ expeditionem nauigio excepi, in celsa puppe sedens, nunquam satis fidens huic monstro, clauo perpetim affixus, non minus sæuiens pelagus, quam salis placidi vultum, fluctusque quietos ex paui, animoque & corpore obnixus, immissam

hyemem ventoſque deprælianteſ aut excepi, aut eluſi: certe redux, ac ſoſpes ueſtris litoribus ad puli, integram raté, totque parentum vota, & ſeculi huius ſpem ſeruaui incolumem.

Scilicet in denſa mihi nocte, atque hyeme, veſtra ſerena ora fulsêre, hucque ego curſum nauigationis contendi. Nunc tellurem premere lubet, ac litori oſcula figere, voſq; locigenios bona fide venerari. Tu mihi Paule Dotte vir doctiſſime inter tot ſidera Arctophilax fuiſti, tu nauigationis, ac vitæ compotem reddidiſti. Nunc gaudium cum periculi magnitudine decertat. Hæc caſuum, atque errorum finis eſto. Hic ego clauum, hic armamenta ſuſpendo.

VAlerius ille populi Romani cum Bruto liberator, non contentus patriæ ceruicibus iugum depuliſſe, quum in concionem proceſſiſſet Conſulares faſces ante ora Quiritium proclinauit, atq; Imperii inſignia futuri terrarum principis populi pedibus ſubiecit. Cuius exemplo, ſi magna paruis componere fas eſt, conſtitui ego hodie in hoc ampliſſimo cœtu, non ſolum Gymnaſij regimen abdicare, ſed laureatos faſces vobis ſubmittere, noua laureæ decora veſtræ beneficentiæ imputaturus. Neque cenſuram deprecari animus eſt; & ſi cui in acta inquirere licuerit, non alios aut iudices, aut ſuffragatores optare poſſum.

Multum iſte magiſtratus pacatus licet, atque vmbratilis, offenſæ, multum inuidiæ, ac periculorum habet. Inter gentes lingua, ac moribus diſſonas, ætate præferuidas, factionum ſtudijs ſciſſas, hocque vno concordes, vt neque totum obſequium, neque totam libertatem pati poſſint: ac iuuenilis licentiæ freto iactatæ, dum legum tyrocinio imbuuntur, imperia legũ aſpernentur. Eadem imperantibus ætas, iuuenilis Senatus, prætextata Curia, nec tam Patres quam adoleſcentes conſcripti, feſtinata maturitas, præproperæ curæ, inerme ius, ſine lictoribus faſces, ac veluti lege Porcia,

cia, legeque Sempronia exempti flagro Quirites. Vnde Prorectori iter anceps, ac lubricum, non inter optimates, ſed populari nobilium ſtatu penè precarium imperium exercenti. Si quid deliqueris, omnes arguunt, gratia inter plures perit.

Itaque duplex mihi hodie lætandi cauſa, quod oneri immenſo ceruices ſubduxerim: quodque qualiſcumque operę, ac vigiliarum præmium veſtra benignitate conſecutus ſim. Cui etſi parem gratiam præſtare non poſſum, illud certe polliceor apud me facti memoriam fore ſempiternam. Nam ſi meritorum veſtrorum obliuiſci poſſem, aut vellem, veſtra hæc inſignia, quæ nunc mihi circumponitis, incurrent quotidie in oculos, gratique perpetuo animi ſymbola erunt. Nunquam intermorituræ viriditatis laurus, flexus in orbem annulus, æternitatis nota, ipſi codices immortalitatis miniſtri, ac cuſtodes, & aduerſus æui impotentiam propagatura memoriam monumenta.

Tibi præcipue Præfecturæ noſtræ acta non improbari, votum eſt Iacobe Comes Caime, qui literarij Senatus columē clues. Maximam enim laudem mihi tributam cenſebo, ſi hunc honorem tuo ſuffragio comprobaueris. Quem enim currum, quam lauream, cum tua laudatione conferam? Tuo grauiſſimo nutu, ſubire hanc molem, viribus meis haud æquam, animum induxi, & periculoſæ plenum opus aleæ aggreſſus ſum: tuo conſilio incidentes caſus, atque ardua rerum fortiter excepi: tuo exemplo, qui ingentis virtutis comitem inuidiam præclare viciſti, offenſas, ac ſimultates pro Rep. contempſi, nihilque niſi Gymnaſij, ac Veneti imperij maieſtatem intuitus ſum. Et cum omnibus ſatis fieri non poſſit, mihi ſaltem ſatisfeci: quod ſi optimis patribus, ac tibi, ſublimi vertice ſidera attigiſſe mihi videor, ſatis omnibus placiturus, ſi tuo iudicio placuero, egregio ſpei blandimento. Quando iuuenem, forma, genere, virtute præcellentem ſuperi obtulerunt, in quem imperij pondus reclinarem: non

pa-

parem modo, ac suffecturum, sed meos lapsus strenue fulturum. Sit ergo imbecillitatis meæ non vltimum solatium optimus successor.

Porro grande tanti beneficij complementum est, quod coram Vrbis moderatoribus amplissimis, in principum oculis potestatem exuo, meq; priuatæ vitæ decurso spatio redo, quibus non alium, quam paternæ venerationis titulum, non Academia modo, sed Vrbs vniuersa merito impertijt. Vestro ego nutu, vestris auspicijs Gymnasio præsedi, semperque adnisus sum, vt boni omnes, clementiæ, ac mansuetudini vestræ pari obsequio, ac pietate responderent. Si secus res accidit non meum, sed illudentis fortunę crimen putandum est. Ego posthac non in patria modo, sed quocunque gentium accessero, tantam moderationem prædicabo, nominisque vestri fama, omnes terrarum tractus implere conabor. Interim geminum Gymnasij sidus, literis ac disciplinis propitium, ac salutare in discessu veneror.

QVi sacris silentium adhibuerunt, ij res diuinas caste, puraque mente magis quam verbis peragi intellexerunt. Quod scilicet Dijs cuncta videntibus, vel intimi animorum recessus paterent, etsi lingua dentium septo cohiberetur. Quare nos hisce Astreæ sacris hodie vestro ingenti beneficio admoti, parcemus verbis vestræque benignitatis magnitudinem humano sermone inexplicabilem esse silentio testabimur, te magnum Astreæ Antistitem conscia meritorum mente, ac memori animo potius quam ambitiosa verborum pompa venerati.

QVod votis omnibus ab immortali Deo ego, & collega hic meus precati sumus, vt qui eadem signa atque auspicia secuti, eidem Deæ auctorati, vna militiæ tyrocinia posuimus, eodem castrorum contubernio vsi, eadem disciplina instructi contra inscitiam ac barbariem pugnauimus, ac

ac vicimus, victoriæ præmia atq; inſignia veſtro ampliſſimo decreto conſequeremur, id hodierna die, vel ſupra vota cõtigit, Patres præſtantiſſimi. Neque iniqua aut improba ea vota videri debent, vt qui tota vita arctiſſimo fędere, quod ipſa ſanguinis iura vinceret, iuncti fuerimus, vitæ ipſius fructum vna caperemus.

Non enim nihil eſt P. C. quod infantia noſtra eiuſdem Cœli ſpiritus duxerit, idem ſolum preſſerit, propinquam nutrimentorum ſedem habuerit: Illud maius, quod iiſdem literis adoleſcentiam exercuimus, grauioribus diſciplinis in hac Vrbe iuuentam firmauimus, vt demum occulta fatorum deſtinatione ad Gymnaſij regimen vna vocati, qualemcunque operam noſtram Venetę Reip. ac nobiliſſimæ huic Vrbi addiceremus. In quo munere, vt cęptam ab incunabulis conſuetudinem ſeruaremus, non iiſdem modo penatibus, ſed iiſdem conſilijs, nec vnquam diſcordi ſententia egimus, beneuolentiam fouimus, ac pluſquam fraternæ neceſſitudinis exemplum toto pectore adſtrinximus.

Hoc eſt Patres optimi, quod ſilente collega grates ego vobis rependo: nam qui in reliquis vitæ actibus concordes ſemper fuimus, in hoc conuenimus, vt tantum vobis nos debere fateamur quantum nunquam ſoluendo futuri ſimus.

Tibi præcipue Vir doctiſſime, qui gaudia noſtra, ac felicitatem ſolus abſoluere potes, quo maiorem laudum præconem ne optare quidem poſſumus, quarum laudum ſi inopes ſumus, at illud ſaltem haudquaquam gloria vacuum fuerit, quod ab viro laudatiſſimo laudemur.

Laurea hæc triumphalis, quæ decreto veſtro nobiliſſimi iuuenis fronti aptatur, vt eximio decore præfulget, ita non primo nunc huius gentis penatibus inducitur: ſed nouis gloriæ authoramentis antiquum decus recolitur, quo Ioannes huius patruus inter Aeſculapij ſacerdotes allectus, hanc artem ſalutarem eo prouexit, quo æmula diui-

nitatis

nitatis mortalitas, vltra ingenij ſortiſque metas adſpirat.

Si quis enim nunc inter mortales degit, cuius ope innumera mortalium multitudo orco prærepta ſit, & cui vetus poetarum dictum conueniat, vmbrarum Regem metuere ne reuocatis leti poſtliminio Manibus, Ditis atria exhauriantur, is certe huius patruus eſt, cuius pene diuinam in auertendo fato manum, non ignobilium modo capitum turba ſingulis momentis experitur, ſed dynaſtæ ac Principes ſeuitiæ parcarum tantæ felicitati incurſantium, non ſemel ſubtracti ſunt.

Ita ſæpe a purpuratis capitibus purpurea mors huius virtute depulſa eſt, Romæque præcipuè eius palmæ numerantur. Tridentum, & Mantua Principum ſuorum ſalutem huic ſæpe tulit acceptam, & aureo torque redimiuit, cuius arte ferrea lethi vincula diſcuſſa fuerant. Irrefragabili artis ipſius certitudine, cum ad nonageſimum vſque annum incolumis, ac vegetus, morborumque expers peruenerit, quorum cohortem quotidie profligat, non ſine medicorum rubore, quibus ſæpe contingit ea ſalute carere, quam alijs toties præſtiterunt.

Et vtinam ſpiritum illum vitæ metis proxime accedentem, totieſque de humano genere optime meritum ſubſiſtere liceret, vt diutius affecto Orbi mederetur: melius vtiq; humanis rebus conſultum eſſet. Sed nonniſi vota facere licet, & vt longiſſime fatalis terminus abſit, precamur. Verum ne quis eum immortalem ab operibus exiſtimet, huic quoque ſuprema dies aderit, & ineluctabile fatum: dies atra, dies diris omnibus defigenda. Inexpiabilis calamitas & quam funeſto ſilentio obrueremus, niſi Numine Deum itum obuiam videremus, qui ſenis ſapientiſſimi virtutem doctrinam, felicitatem, in fratris filio ad tantum decus ſu- gente propagarunt, vt non abituta ſit hæc mortalium ſa- ſed feſtinato tranſitu in iuuenem lectiſſimum migratura.

Hoc publica expectatio concipere audet, hoc vobis ho- die,

die, Orbique toti polliciti estis, quum dignum tanto patruo, dignum Laurea, dignum vestro contubernio declarastis. Præstitit ipse ne sapientissimo vestro iudicio indignus videretur. Nam quod Brixiæ clarissimæ Vrbis summo loco natus sit, quod longa serie auos numeret, & reliqua extra se posita in exiguo ponens pretio, in solius patrui imaginẽ atque imitationem defixus, tanta animi contentione literis adhæsit, tanto ardore disciplinis incubuit, vt sui sanguinis esse patruus negare non possit, fratrisque filium vltra liberorum curas, ac spes complectatur.

Magni exempli incitamentis, sed grauioribus propriæ virtutis præsidiis instructus, vestrum subire aspectum, vestram censuram non formidare potuit, cum alioqui non ignoraret, dum Prorectoris Academiæ dignitatem, atque immunitatẽ egregie sustinet, fieri minime potuisse, quin aliquorum offensionem incurreret, qui vltra ciuilis contentionis modum odia serunt, aluntque. Cum vestro hoc Collegio Academię Prorectori amice disceptandum fuit: & vt priuatas spes publicæ dignitati antehabuit, sic infracto animo aduersus erũpentem indignationem infensos Iudices non expauit, tantumque innocentiæ suæ, rectisque consilijs tribuit, vt etiam a subiratis exprimere suffragium sperarit. O miram eius confidentiam, qui existimationis suæ quam nemo bonus nisi cũ anima simul amittit experimentum non beneuolentium iudicio crediderit: singularem vestram Patres ęquitatem, quos vltionis cupiditas, & reponendi doloris dulcedo a recto deflectere non potuit.

Est igitur quod patruo tuo gratuler, quem in te reddita iuuentute recoctum reuirescere videre videor, mihiq; ipsi, qui sub eodem artis huius tyrocinium posui, nunc veluti lãpadem tradens beneficiorum partem refundere possum, est quod tibi hunc fortunæ cursum prosperum, & patrui similẽ precer. Quid te deceat monendus non es. Menti tuæ eius imago perpetuo obuersetur. Quid hodie sis, quidue futu-

rus cogitato. Accepta vitæ necisque potestate sic habeto, minimum illi licere, cui plurimum licet; Sic demum admitere, vt postquam patruus vixerit, nemo eum defecisse intelligat.

Surge ergo & a libris istis nusquam oculos nusquam animum auocato, ac tibi persuadeto, si cum mortuis istis dies noctesque verseris, te magnum ius in ipsam mortem habiturum. Phebęa lauro tempora redimire, quæ virescente perpetuo fronde, nunquam intermorituram gloriam tuam testetur: digito annulum indue immortalitatis argumentum, aurique illius symbolum, quod virtuti tuæ seruati mortales inter templorum donaria appendent. Sic te Aesculapius, eiusque parens Apollo quemadmodum ego osculor amplectantur: ipsaque respiciat salus.

VEtus Græcia laudum suarum immodica, nihil illustrius habuit nobili illa poetarum carminibus decantata Minyarum, duce Iasone in Colchos, ad aureum vellus expeditione: primâ naue Argo, qua vecti delecti viri, Græciæ flos, petebant illam pellem inaurati arietis. Ingens profecto ausus, ipsaq; nouitate periculi memorabilis. Cum per ignota maria, atque intentata vada ausi sunt vitam pro laude pasci.

Ausus Typhis pandere vasto
Carbasa ponto legesque nouas
Scribere ventis.
Bene dissepti fædera mundi
Traxit in vnum Thessala pinus
Iussitque pati verbera pontum;
Partem metus fieri nostri
Mare sepositum.

Quæ quidem minima discriminis pars videri debet, si quis inhospita litora reputet, tot feris gentibus obsessa, Cyaneas cautes, & mutuo incursu collisas symplegadas, Charybdis

rybdis naufragia expuentis ingluuiem, Scyllæ Siculo profundo latratus, denique blandas Sirenum pestes, ac dulce lethum. Aliud extra mare naufragium, postquam Phasidis oras tenuêre, noui casus, noua monstra, ac ponto tellus immitior. Auri custos peruigil draco, æripedes tauri incendia proflantes subigendi, dira dentium semens, & ferrea messe editum immanibus sulcis inter vnius diei homines ciuile bellum. Sed nil mortalibus arduum, quoties Numina præsto sunt, votisque ingentibus fiduciam commodant. Iunonis præsidio delenita venefica, prodita Regni fata, cum patria parens, ac frater dotales dati, monstrato medicamine sopitus serpens satelles, tauri ferre iugum docti, fraterna acies in se conuersa, ac viribus suis confecta, totque laborum, & calamitatum præmium aurata pellis.

Ingens profecto documentum, quanto sibi constet honestum, quantaque mercede virtus, ac sapientia paretur. Non enim hic sola Graia iuuentus ad nitido villo radiantia vellera accingitur, sed ex Orbe vniuerso delibata pubes, sua, ac parentum vota sequens, fatalem hanc nauim, diuina Palladis arte ædificatam conscendit, & ad opima spolia, ad rerum humanarum fastigium Iurisprudentiam adspirat. Ipse quoque cum fratre charissimo maiorum exempla sequuti in hanc sortem nomina dedimus, & cum ceteris ciuibus, atq; exteris bona aui nobiliorem Argo ingressi sumus, cuius carina vocalis Themidis oracula fundit, puppis Veneti Leonis tutela irradiat, insigne mysticus Apis præbet, vectores Diis geniti, nec fabulosis Heroibus impares immortalitati velificantur, nec furtiuæ aurum pelliculæ, sed metallis omnibus potiorem sapientiam consectantes.

Oram soluimus auspicato, velaque ventis dedimus, cuncta perpessi, quæ maris fides infamis, & ventorum insania secum fert. Latrantes scopulos prætervecti sumus, monstra natantia effugimus, nec vna pro cella iactati vota litoralibus diis nuncupauimus. Præcipuus labor circa impro-

bas Sirenes fuit, vitiorum exempla, atque ipso pelago sæuiores blanditias. Quam penè fucata voluptatis specie sto t malis inuictos pellexit, atque ad albentia ossibus litora pertraxit inuitos! Sexennium in his periculis, ac laboribus fuimus; tandem non Colchorum tellurem barbaram, atque inhospitam adpulimus, sed totius Europæ mitissimum ac beatissimum solum, cum Numine diuûm, hoc est ipsos Musarum Elysios, non tamen votorum summam attigimus. Tam ardua in ipso felicitatis limine restant exhaurienda. Non hic æripedes tauri, ac fèra insomnis, non sparsis dentibus terræ filij dieculæ fatum sortiti, sed Cœlo delapsi æternum fama victuri, sed diuino satu edita fortissima manus, cum qua amicum de virtute certamen collato pede conseramus, quando vetus præsidium abest, lapidis iactu a se depulsam mortem in hostes conuertendi. Astreæ auspicijs tentabimus pugnam, eo alacriores, quod & vicisse, & dedisse manus talibus viris æque gloriosum putamus. Phryxeum vellus reportasse prima laus est, proxima, non desperasse.

Fratris Præfatio.

RAram esse fratrum concordiam vtinam olim a poetarum ingeniosissimo falso proditum esset. Nam vt fraternas acies, scissos lite penates, ac diuulsa germanorum viscera, ipsiusque rogi discordem flammam Tragędiæ sileant, non sine humanæ sortis rubore, ac naturæ parentis iniuria, fratrum dissidia, pugnantes genios, diducta in partes familiæ studia, ac rebellantem sanguinem quotidie contemplamur.

Testor sacrosancta communis ortus fœdera, ac præstites domus deos, me ab ipsis natalibus cum fratre amantissimo indiuiduo germanitatis nexu fuisse colligatum, nec tam corpore, atque sanguinis sacramento sociatum, quam animo, animaque mixtum, idem perpetuo voluisse, ac noluisse

tan-

tanquam si duo corpora vnius spiritu regérentur. Eo astrorum consensu concepti, ac modico temporis interuallo eadem aluo editi, concordem infantiam, indiuisam pueritiã, vnanimen adolescentiam egimus: nec tam eodem lactis, quam literarum haustu nutriti, eadem mirati sumus, vno in ludo eruditui ambo, eosdem doctores coluimus, vna Iurisprudentiæ sacramentum diximus: ergo ne aliqua in re separemur, vna laborum experimentum damus, & ad petendum decus eodem nauigio conscenso vota miscuimus.

Et tu quidem frater animo meo charissime, vel potius animæ dimidium meæ egregiæ indolis, præclarum specimẽ dedisti, quo magis mihi enitendum est, ne tui dissimilis hac quoque parte sim, & ne anteactæ vitæ concentum extremo hoc actu dissoluam. Exemplum tuum lætum mihi victoriæ omen, & necessitas est. Dij modo ceptis annuant, in te ipso vicisse videor: nec dubito fore, si casus ferat, vt tu mihi, quemadmodum olim Polluci Castor immortalitatem alternis partiaris, quo non in laboribus modo, sed in laborum præmijs fratres simus.

Peroratio.

FRatres gemini tantum vobis ob prolixæ disputationis tedium gratiarum debemus, quantum humana mens concipere non potest. Vobis præcipuè, Pastores populorum quos duos Soles dicerem, si modo Sol non solus esse posset: sed potestate, clementia, ac de ciuibus benemerendi studio vnum estis. Vnus fratrum id officium persoluit, quia vtriusque idem debitum, eadem animi mens, eadem vox est. Quod si fortuna concesserit, vt vita vobis satisfacere, & sanguinem commodis vestris impendere possimus, duo sumus.

Preces eius qui repulsam tulerat.

QVamuis iustissimi vestri iudicij fulmine ictus attonitus hæream, nec satis animi compos, solo tantæ calamitatis sensu, in luctu, & tenebris, ac prope desperatione desolatissimus iaceam: ingens humanitas vestra, ac prope diuina clementia perculsum excitat, ac veluti e tumulo caput attollentem confirmat, efficitque, vt vota concipere audeam, preces scripto delegare, ac genua vestra obsignare.

Nam exire e tenebris in quas me condidi extremus pudor vetat, prodire in publicum salua fronte non possum, lucem odi, & odit me lux, Solis iubar non ferunt oculi, ne dum vt augustum hoc sacrarium ingressus, ora vestra verenda, ac luminum fulgur, quo cecidi, sustinere possim.

Nec tam mea causa, quam patris, ac maiorum inconsolabiliter mæreo, quos tristi hoc casu, si vos non succurritis, aut compositos inquietabo, aut viuentes percellam. Nam parens, auus, abauus, continuata serie, vestro singulari beneficio, ab his Astreæ penetralibus lauream reportarunt, domumque condecorarunt. Ego vix altero calculo labefactus, eorum triumphos subuertam, ac triplicem lauream penatibus exscindam. Viuit, extremum æui cardinem premens auus octogenario maior: superest parens hoc vno infelix. Huic ego senium, illi mors ero, quandocunque tristissimus nuntius eorum aures impellet. Ille nimiam viuacitatem damnabit, in hoc dedecus nepotis reseruatus; hic degenerem prolem non agnoscet, aut abdicabit.

Quo me vertam miser, deorum, hominumque pudor? Quo vultu subibo penates quos hac nota dehonestaui? qua fronte aui supercilium feram, aut oculos ad parentem attollam, quo colore ciues, notosque ac contubernales reuisam? Petam vltimas terras si misericordiam consumpsi, exulque ac profugus, quam primum os ludibrio subducere maturabo.

Tendo ergo ad genua vestra supinas manus: nec ipse solum,

lum, sed parens, atque auus: hic canos vestigijs vestris substernens, ille lachrimas, ac suspiria numerans, omnes, si modestia vestra pateretur, pedibus aduoluti, hanc a familia, non male de vobis, ac Veneto principe merita labem, atq; ignominiam deprecamur. Vnum vixque alterum suffragium est, quod infimis precibus, ac lachrimis donari nobis postulamus. Per capita vestra, quibus Iurisprudentia nititur, per spem liberorum, per quicquid sanctum sacrumque habetis, ab auo mortem pellite, a parente geminatum acerbissimum luctum, ac noui funeris imaginem ab domo squalorem: mihique vitam, & sine qua vita grauis est, existimationem restituite: vt in hunc sanctissimum cœtum receptus, ac mortis postliminio reuocatus, quo rarius eò illustrius vestræ clementiæ æternum monumentum viuam.

Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies
Prodesse miseris.

MVndi nascentis infantiam, saturnium seculum, quod Orbe nouo, Cœloque recenti a nobilioris metalli vena ætas deterior denominauit, ab omni parte beatum, ac Deorum æuo simillimum sublimia vatum ora prodidere. Cum tellus immunis, ac libera, neque captiuo boue pressa, nec vomere, ac rastris lacerata, sed per se fœta fruges ferret, nullis auaritiæ cuniculis viscera scrutantibus, natiuas opes funderet. Nondum montibus suis cæsa abies ignotis fluctibus insultabat, ventisque sub leges missis ignota vada transiliebat. Alta pax, ac secura tranquillitas, nullius rei cupidas gentes tenebat: procul furor, & rabies, cedesque & Martis insania: & ne ab aurei poetæ vestigijs abscedam

Ver erat æternum, placideque spirantibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.

Ve-

Verumenimuero non ista plena felicitas, atque aurei seculi fides sapientibus visa est, sed illa plane, quam idem vates ingeniosissimus exequitur

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat
Pœna, metusque aberant, nec vincla minantia fixo
Aere ligabantur: nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.

Ingens innocentiæ, atque aureæ ætatis argumentum, caruisse legibus, incognitaq; iura habuisse. Scilicet simul cum legibus inductum seruitium est, iniectaque iuris vincula libertatem depulêre, ac sponte naturæ olim boni, sanctique mancipiorum instar, pœnarum ac supplicij metu rectum, & fas colere coacti sunt. Nam sicut inducta medicina, valetudinem corporum, ita promulgatis legibus, edictis, ac sæuis imperijs salubritatem animorum, atq; innocentiam amisimus. Quod vatum maximus tetigit.

Neue ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam
Sponte sua, veterisque Dei se more tenentem.

Deterioris igitur seculi, & cui a nullo metallo natura nomen inuenit, minantia iura, & coercitio indicium est: corruptissimi, leges plurimæ: & sicut in altera facultate, non tam morbis, quam remediis, ita in nostra, ex æquo flagitijs, & legibus laboramus: nec cum reliquit, sed cum successit terris Astræa, degener ætas in ferrum diriguit. Hinc præter obscuritatem atque ambages, neque absimilia Oraculis perplexa, atque intorta responsa, sententiarum concertationes, nullo idem sentiente, & inter dissidentes veritas laborans, castraque vrbanæ togæ.

Ex quo durum sequentibus hæc signa tyrocinium, & veluti gladiatorum sors, in eodem ludo viuentium, ac pugnantium. Nos quoque, ut huic militiæ sacramentum diceremus, nescio genius magis, an maiorum voluntas impulerit. Cer-

te duri seculi mos adegit, post quinquennij rudimentum in arenam descendere, componere paria, lusoria arma tractare, super legibus altercari, ac fori iurgijs præluderc. Bene habet, quod hæc ingeniorum pugna est, nec sine missione. Et vicisse gloriosum, & tantis viris dedisse manus ingentis fati solatium. Erit hæc discordia concors. Opinionis dissidium arctiori fędere animos colligabit.

Peroratio.

BEnemeritis gratiam referre naturæ lex est, vna ex omnibus nulli nisi ingrato controuersa. Sed & aliud ciuilitatis scitum, cui soluendo non sis, profitendo, nomen expungere: æqua beneficij compensatio est, se reddendo imparem testari. Non aliter Dijs ipsis, ac fortunæ celsioris muneribus satisfacimus. Valeat lex altera inhumana, ac Scythica, XII tabularum dehonestamentum, quæ corpus obærati inter creditores secari, ac diuidi permittebat, quã communis consensus antiquauit. Habetis ingenti ære oppressum, ac meritorum magnitudine obrutum. Sponte ipse non membra, sed animum in vota diuidam, ac partibor affectus, paratus singulis cum corpore animam addicere, nisi vos vtrumque beneficijs vestrum fecissetis.

MYsticam Cererem non tam frugibus Orbem consequisse, quam traditis legibus humanum genus mitigasse vetus poetarum sapientia prodidit, atq; Attica Thesmophoria testantur. Hinc legiferam Cererem diuinus vates nuncupat, atque ære fixas leges in eius templo seruatas accepimus.

Primo Ceres vnco glebas admouit aratro Ouid. 5. Met.
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris
Prima dedit leges Cereris sunt omnia munus.

Quod scilicet prisci mortales, durum genus, recenti Orbe

cùm vagi, ac dispersi simillimam feris vitam degerent, & concussa qu ercu famem solarentur, huius Deæ beneficio Chaoniam glandem pingui arista mutauerint, atque in vnū contracti, mores, ac iura paulatim induerint, eodemque tempore mitiori alimento a belluis secerni, atque æquo iure celebrare cętus, vitamq; colere cęperint.

Sed rem mihi altius repetenti, ac veluti Eleusinia mysteria audacius introspicienti, hæc potior causa visa est, cur eidem Deæ fruges, ac iura debeantur, quod quædam sit annonæ, ac legum cognatio, atque ex indiuiso societas. Et quando sine his duobus degi vita non potest, ita manifesto apparet, vtrumq; magno constare mortalibus, & tam frumenta, quam leges improbi laboris, ac pertinacis industriæ mercede comparari. Vt geminum, ac prope par agricolarum, ac Iurisprudentiæ cultorum studium & contentio videatur.

Illi cum aruis perpetuo luctantur, tellurem aratro proscindunt, ac magnæ matris ossa inuertunt, viscera scrutantur, glebasque sudore irrigant: mox grandibus sulcis semina, spesq; suas Cœlo & astris committunt: frigora, & æstus iuxta patiuntur. Sed postquam

Frumenta in viridi stipula lactentia turgent

cum spe sollicitudo acuitur: steriles herbas legere, aues absterrere, siccitatem, Cœlique aduersa deprecari labor est, sed non vltimus.

Cana seges metitur, lateque aream occupat. Tunc Sole sub ardenti, tam messis coquitur, quam villicus, vitæq; alimentis penè colonus immoritur: humanum os subituræ fruges, deorumque victimas auctura mola, iumentorum pedibus proteritur, aut flagellis excutitur, vanno purgatur, & ventorum olim formidata vi, nitescit. Atqui stipata horreis grana metum magis soluunt, quam laborem. Machina conteritur, quod denuo dentibus molatur: & nondum panis est. Sacer farinæ flos, me dulla vitæ lymphis miscetur, subigitur,

gitur, ac crebrò verbere pinſitur, varias induit formas, donec ignis beneficio cibus fiat, natiui caloris auiditati ſuffecturus. Tandiu exſudatur, tot manus atterit, tanto conſtat, ſine quo ſtare vita non poteſt.

Enimuero pane viuitur, legibus recte viuitur: illo ſpiritus ducitur, his tutus eſt. Sed ſi vera dicenda ſunt, maior Iuris ſtudioſorum, quam colonorum labor cenſendus eſt. Nam antequam diuini, atque humani iuris ſemina triumphales agricolæ ſpargant, ingenij ſolum diu ſubigendum eſt, ne tenui ſulco euaneſcant, ventiſq; & auibus ludibrium debeāt. At poſtquam pubeſcere culmi cœperunt, ſummopere adnitendum eſt, ne nimis læta ſeges luxuriet, ne herbeſcentem viriditatem uitia præfocent, ne mali exempli rubigo nitentia culta adurat, ne otium, ac deſidia anni ſpem intercipiat. Nunquam ceſſare uacat, ipſaque hiems ignaua colono, nobis exercetur, nec die modo, ſed noctu, per quinquennium, atque eo amplius laborandum, quanto grauior eſt ingenii, quam corporis defatigatio, uigilandum, & fuligo lucubrationum bibenda. Cum uero meſſis procubuit, tum maxime feruet opus, tunc ſummum certamen cernitur, tunc ſpecimen ſpecitur, cum hoc in loco ueluti in area, veſtro acerrimo iudicio, tot annorum fruges triturantur, ac iactatæ uentis ſtipulæ granis ſecernuntur. Sed niſi demum Sol, aſtraq; fauerint, uota penitus deplorata iacebunt.

Veſtro ſidere Patres Ampliſſimi ſementem feci, veſtra aura totius uitæ ſpes adoleuit. Tuo lumine ac tepore, Paule Dotte, mi Sol, meſſis incanuit, & ad maturitatem excocta eſt. Tibi primitiæ debentur: tuos tholos ariſtarum manipuli coronabunt. Te oris dignitas, ac decora cęſaries, ſed magis candidi mores, intonſo Cinthio parem faciunt. Tu Gymnaſium ſerenas, inſcitiæ noctem diſcutis: tu etiam longe operaris, & cuncta uidens, obſtrictæ tibi mentis uota contueris. Ergo Delphicam Laurum, munus tuum, impertire, ac lucis partem fenerato

Vt Baccho, Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabis tu quoq; votis.

LAurum olim triumphis dicatam, non quod perpetuo uireat, nec quia pacifera sit: sed quod spectatissima esset in monte Parnasso, & ideo grata Apollini, clarissimi naturæ scriptores prodiderunt. Sed quid Apollini cum bello? Quid mortalium seruatori, cum generis humani pernicie, cum luctu, ac vastitate, cum cęde, ac sanguine, quibus unis olim triumphus constabat, immo propter quæ decernebatur? Vt rectius omnino sensisse Massurius uideatur, qui ob hanc causam honorem Lauro habitum in triumphis commemorat, quod suffimẽtum esset cędis hostium, & purgatio. Vt scilicet e bello digressi duces, & cęde recenti contaminati, taboque polluti, eo piaculo lustrarentur.

Tristes exuuiæ, rorantia sanguine trophęa, Libitinæ pompa, mortis quadrigæ, ferales triumphi, lanienæ auctoramẽtum, eo speciosius, quo plures interempti, maior cadauerũ strues, atque insepulta ossa latius campos prętexissent. In unius laudem tot millia mortalium impensa, dirâ lege taxatus cęsorum numerus: ac pro triumpho ignobilis ouatio, si pauca capita messuisset gladius, atque exiguus sanguis humum infecisset.

Beata nostrorum temporum conditio, quibus sanctiores de pace triumphi, incruenta vitiorum, atque inscitiæ spolia, sublimis Astreæ currus, Iouis tunica, pictaque toga eorum insigne, quibus non ciues, atque hostes perdere, sed humanum genus seruare votum est. Fuerit ergo Laurus illa suffimentum cędis, ac sanguinis, piaculum scelerum: dum nostra hæc innocens, ac pacifera, non ignes modo pestem voracissimam, crepitu, ac quadam detestatione abdicans, sed intacta fulminibus, ac veluti tonanti obnuncians. Non iam in Parnasso, sed Euganeis collibus spectatissima, & ideo Apollini grata, Doctorum ianitrix, non Cæsarem, & ante huius

sacra-

sacrarij limina excubans. Quodque omnia vincit argumenta, perpetuo virore, non ingeniorum modo perennitatem, sed nunquam intermorituram beneficij memoriam testata. Totus huius adoreæ honos ad vos redit P. Amplissimi: quanto maius est triumphum decernere, quam ducere. Absit dicto inuidia, non vnus Iuppiter hoc Capitolij immobile saxum incolit: hæc Deorum Curia: hic est Olympi regia: hic consitis tot triumphantium surculis, musarum laureta succrescunt. Quorum te præsidem Iacobe Cayme Comes cũcti venerantur: tibi musarum chorus assurgit: te Pegaseium melos fundentem densum bibit aure vulgus, Themidisque mouentem tripodas attonitus Orbis suspicit. A te Lauream accepisse omnes triumphos exsuperat. Hoc præsta arcitenens, & eris mihi magnus Apollo.

QVi ingentia beneficia verbis, aut exprimi, aut rependi posse existimat, vix ingrati notam effugere potest. Nam facta factis exęquanda sunt. Vbi illa multũ excessere, satis est vt intelligantur. Hoc vno superis satisfacimus. Me vobis secundum Deum omnia debere intelligo. Paria aliquando facturum improbum votum esset. Et si possem, mallem acceptum ferre, quam expensum. Perit gratia cum redditur, nec beneficium est, sed negotiatio. Ne verba quidem suppetunt. Leuia beneficia loquuntur, ingentia stupent.



VIRIS PRIMARIIS GYMNASIVM IMPROVISO INTRANTIBVS

Ab auditoribus exceptæ, & ad incudem reuocatæ.



NICOLAO DE PONTE Studiorum Inspectori.



Vid tibi placuit, Senator Amplissime, has sedes maiestate tua implere, tuumq; hoc venerabile os, nobis, ac Musis spectandũ præbere? Nominis tui fama iisdem, ac Solis terminis circumscripta tecti huius angustias patitur? quamq; rerum gestarum gloriam Orbis vix capit, erumpentem exedra coercet? Summis æternæ Reip. arcanis admotus, rerum humanarum negotiis implicitus, vacare his nugis, & ab acie, ac Sole ad hæc studia in vmbrâ educata, hoc est in ludum deflectere potes?

Sed quid ego hæc memoro mirorue? Quasi vero, non in Regnum tuum succedas, hoc est in ipsum Musarum domicilium, quibus tu semper hospitium, ac Lautia præbuisti: illæ te in intimos recessus suos induxêre, ex eo tempore, quo magnus auditor hæc subsellia adolescens implesti, studiorum pars, quibus nunc pro imperio, ac potestate, sed magis pro illa incredibili clemẽtia, ac liberalitate moderaris. Nos igitur quoties de te cogitamus non nisi erubescimus. Sed in hoc tu magnos principes auctores, & exempla habes. Sic olìm Magnus Possidonii foribus laureatos fasces, aut admouit, aut abstinuit. Sic in Sicilia Scipio ardente Punico

bello palliatus, & in crepidis Gymnasia obambulauit, sic huius æmulus Germanicus Cæsar pari cum Græcis amictu auditoria frequentauit, sic Tiberius in Rodiensi secessu circa scholas assiduus mutua cum Græculis officia prope ex æquo vsurpauit. Nobis ergo dicturis non placet

------ Cyrrhæa mouentem
Sollicitare Deum, aut Bacchum auertere Nysa
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

IO. ANTONIO ZENO
Vrbis Præfecto.

QVod seposita tantisper maiestate, ac fortunæ tuæ mole cum falcibus abdicata, tecta hæc, Musarumq; hospitia subieris Senator Amplissime, ac Præstantissime, nouum, atque inusitatum a me dicendi genus requirere videretur, nisi tam vsitatum tibi esset, ac frequens bene de literis, ac sapientia mereri, quam rarum nobis hoc spectaculum vsurpare, vitæque omnis, ac vigiliarum fructũ percipere iucundissimum. Apud Romanum Homerum Euãder Rex agresti culmine, ac mapalibus, quæ tunc Regum opes erant, Aeneam excepturus, satis habuit in Regia fortuna paupertatem, ac pastoriæ vitæ simplicitatem profiteri, & ad opum contemptum hospitem inuitare.

Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant.
Vt ventum ad sedes, hæc inquit limina victor
Alcides subiit, hæc illum Regia cæpit.
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo: rebusque veni non asper egenis.

Libet Euandrum imitari, & vt absint hinc armenta, pastoresque, ac pecudes, vbi fatalis Bos Gymnasii titulum occupauit, ex Orationis tenuitate atque inopia, licet generosum tuum animum opum, ac fortunæ contemptorem æstimare.

Alio-

Alioqui repentino tanti hoſpitis aduentu oppreſſus, animum deſponderem, totuſque ſudore diffluens, ac purpuræ ſplendore perſtrictus haud ſatis expedire poſſem, quid aut facerem aut loquerer. Occurrunt enim trepido, nec ſatis fortunam ſuam capienti, quæ te animi bona hac florente ętate ad honorum faſtigium prouexerint. Quantum tibi ac Reip. decus pepereris, cum graſſante peſtilentia Orobiorũ Pergamis Præfectus, quotidie nobile caput periculis obiectans, inter cadauerum ſtrues populos ab fędo interitu vindicares, & quos leto eripueras, ne fame contabeſcerent, prouideres, vitæ vſum, quibus vitam donaueras, proſpiciens. Vt te iam gentes illæ ſoſpitatorem ſuum, ſiduſq; beneficum venerentur.

Cógeſti inde in iuuenem honores plenis ſuffragijs, quos tu populorum ſaluti poſtpoſueras. Donec, vt te in huius Vrbis Præfectura videremus, ſuperi. dederunt. De qua vt aliquid dicam nec locus, neque inſtituti ratio, nec moderatio tua patitur: & ſatius eſt ſilere, quam pauca loqui. Nódum aderas, & ſola Nominis fama, ſcelus, ac maculoſum nefas exulatum ibat, compreſſæ turbæ, reddita rebus quies omnia in venerationem compoſita, quæcunque demum publica expectatio de te ſibi pollicetur.

Quæ quota pars laudum tuarum? ſi filium reſpiciamus ea ætate cuncta pleniſſime præſtantem, cuius ſola ſpe parentes oblectantur. Tam largis opibus, tantiſque fortunæ blandimentis, tanta ſeculi ignauia, ac literarum contemptu, Muſas non amare ſolum, ſed ſe in earum penetralia abdere, totos dies Mineruæ donare, & quæ illa retulerit chartis cóſignare, libros edere, quo tempore alij ne legunt quidem, ſapientiæ, atque eruditæ grauitatis ſemina paginis inſpergere, & feſtinatis ingenij fœtibus iam Senatui, iam trabeæ præludere: hoc demum eſt ſe Veneto nomine, Familia Zena, te ipſo parente dignum præſtare.

Rarum, ac penè dixerim inuſitatum exemplum, quod Ve-

Veneta iuuentus, & futura Respub. æmuletur, a quo literæ nostræ decus, & commendationem petant. Sed parcam modestissimi Iuuenis pudorem onetare, licet tam procul nostra hæc ab assentatione sint, quam ille prope veræ laudis metam. Sed præuertendum est muneri disputandi. Quare non sine rubore inopiam nostram pauperisque tugurij curtam supellectilem ingenti hospiti sine pompa, atque apparatu traducemus.

NICOLAO SAGREDO
D. Marci Procuratori.

QVod te summis Reipublicæ, & Christiani Orbis negotijs implicitum, arcanisque dominationum, & curis grauioribus exercitum a Sole in vmbram, ex acie in ludum auocare audeam, magnitudinem tuam ignorare videor: si non ausim, humanitatem. Quanquam quis ea ignorare potest, quæ in ore famæ versantur, quæ præsens ætas ita suspicit, vt posterorum memoria cum fęnore repensura sit: sicut retroacta secula tuorum laudibus personuêre. Non hîc Fastos excutio, nec trabeatos auos multa virga deduco. Tu, parensque tuus honorum paginas explesti, solusque rerum gestarum index, ac magistratuum tituli defatigare legentes possunt. Consulto, & mature facto vbi opus fuit, æquitate aduersus socios, splendore aduersus Reges vsi, Veneti nominis maiestatem ad exteras quoque gentes, ac mundi vltima extendistis. Tuæ ad Regem Hispanum, tum ad Cæsarem splendidissimæ legationes tibi, ac patriæ æternum decus peperêre, vt olim Olympionicæ patriam coronabant. Omnes nunc in vota effusi, ex Romana legatione non nisi summum bonum augurantur. Hæc magna quidem sunt, sed eo maiora, gratioraque habentur, quod e tanto fastigio ad nos, hasque vmbratiles curas demittis te, nec tantum in speciem literas foues, non in speciem sapientia imbutus.

Testatur id, vt cetera omittam, summus scriptor Tacitus,
prudentiæ Oraculum, cuius modo sacra tractamus, delitiæ
tuæ, ac solatium, expeditionum comes, & viaticum, pului-
no subiectus, nocturna, diurnaq; manu versatus, ac tritus:
vt pudor sit te coram loquentem Tacitum producere, ac di-
uinæ mentis recessus, contortaq; & implexa ciuilis pruden-
tiæ effata aperire, qui in eius adyta admissus, sortes, ac tri-
podas tenes, peneque solus Oraculo potiris. Macte ingen-
ti virtute: nunquam literæ nostræ de te obticescent, qui ijs
loquentibus silentium, quanta cum admiratione facundiæ,
vocem Reip. commodas.

GASPARI SCIOPPIO V.C.

SI quid est in me ingenij, quod sentio quam sit exiguum:
aut si quid eruditæ antiquitatis studio profeci, in quo
me non infitior mediocriter esse versatum: aut denique, si
ad aliquam dicendi, ac scribendi mediocritatem perueni:
earum rerum omnium, tu vel in primis, Gaspar Scioppi, rei
literariæ columen, ac decus, fructum a me repetere iure tuo
debes. Nam quoties in primos, rudesque annos contem-
plationem conuerto, vt illud summi Oratoris de Archia
vsurpem, video, te mihi principem, & ad suscipiendam, &
ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.

Cum enim fęda scholarum caligine demersus, sub plago-
so Orbilio literarium pistrinum infelici astro contererem, ac
præter vnum, & alterum scriptorem omnium ignarus, vitrea
fracta, & somniorum interpretamenta audirem: nulla vetu-
statis, ac prisci moris cognitio, nullus Orationis lepos, &
acumen, nullum Græcæ eruditionis lumen: non generosi,
ac viuidi spiritus: nihil concitatum, ac sublime: sed fœda
barbaries, atque inscitia grassaretur: denique necesse ha-
berem discere nihil scire, & cum insanientibus desipere. Te
Cœlo nostro fata commodarunt, mihi lucem ac spiritum

red-

reddiderunt. Nam a patruo Viro clarissimo ad te officij causa deductus, Dij, Deæque, quàm repente aspectu tuo commotus, grauissimis verbis excitatus, exemplo accensus, totusque mutatus ab illo, veluti turbulento somnio excitus, redire ad me, ac bene sperare cœpi. Tu me non in Musæum modo, sed in adyta familiaritatis trepidum induxisti, atque infanti pudore verba singultientem, confirmasti, atque illico prophanum vulgus odisse docuisti. Cum identidem interioris notæ, atque aurei seculi scriptores indicares, eorumque delectum haberes, quotidiè præceptis salubribus animum componeres, puræ, castęque orationis studium insinuares, Asiaticum tumorem, ac iuuenilem scribendi luxuriam castigares, atque ex Petronij instituto, verba atroci stylo effodere, quod vellem imitari diu audire, iuberes, denique in auia Musarum loca volentem deduceres, breui effecisti, vt aliquid illa ætate conarer, quod acerrimi iudicij tui censuram subire non reformidaret.

Sed plus exemplo quam verbis proficere licuit. Cum te, quacumque hora adirem, pluteo affixum, styloque ac pugillaribus perpetuo intentum cernerem, noctesque studijs impensas, etiamsi a domesticis non intelligerem, vigiliarum color id proderet. Cum semper domi abditus, vitæq; exul, abruptis voluptatum blandimentis, vni posteritati vacares, raro in publicum egressu, & cum id officijs, atque amicorum precibus dares, erudito sermone iter, ac tempus ducens. Quæ faces, qui stimuli animum meum agitabant, ac nocturnam quietem submouebant, vt aliquid te dignum procuderem? Cum nihil præter literas in uita iucundum arbitrarer, teque duce ad decus virtutis via grassarer. Vt iustius ego tuo, quam Achilles apud Eripidem Chironis contubernio gloriari possim.

Augebat beneficij magnitudinem fortuna tua, ac dignitas, quem duo summi Pontifices, Cæsarque, ac Reges ad sacra familiaritatis adscitum, fideq; & consilij præstantia spe-

ctatum ad maxima religionis, atque imperij negotia promptum, paremque adhibuêre. Quem magnis legationibus perfunctum officioso Principum certamine expetitum Orbis veneratur. Nam quid ego hic ingenium tuum prædicem scientias omnes prodigioso captu peruagatum, sacrarumq; literarum extra exempli aleam, peritiam? Quid iudicium acerrimum, quod tantopere docti omnes reuerentur, eique rei literariæ arbitrium sponte deferunt? Quid eruditionis specimen exquisitissimum? Quid magnum animum, celsumque, ac vere Stoicum, in altitudinem sapientiæ compositum, ac præ religionis studio tam opum, atque honorum, quam æmulorum, quos inusitatæ virtutis fulgore perstringis, contemptorem? Liceat enim dixisse, gloriæ tuæ magnitudinem, hostium liuore, ac rabie æstimare possumus, quos tu partim splendore nominis obruisti, ac vero victos longum plorare iussisti, partim indignos, quibus dolorem reponeres, silentio vltus es.

Nam quod hodierna die deflectere huc aspectum tuum, ac nugis nostris interesse non dedignaris, maius beneficiũ est, quam vt verbis exprimi possit. Totum muneris hoc tui est.

Quod spiro & placeo (si placeo) tuum est.

Ergo tenuitatem meam excusabis eo modo, quo parentes liberorum lapsus, ac balbutiem exosculantur. Addere plura supersedeo, ne qui ex contubernio tuo liberrimos spiritus hausimus, nullique mortalium assentari didicimus, totum id auribus tuis dedisse videamur.

ROBERTO MALATESTÆ
Cataphractorum Ductori.

GErmanicum Cæsarem, omnibus animi, corporisq; dotibus vsque ad miraculum excultum, Augusti progenerum, Tiberij fratris filium, ad Orbis imperium adscitum, in

in Aegypto, Scipionis æmulatione, qui eadem in Sicilia flagrante Punico bello, factitauerat, Gymnasia frequentasse, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, Tacitus noster scriptum reliquit.

Quod magni Principis exemplum in te hodie renouatum, licet admirari, Marchio Malatesta Cataphractorum Equitum ductor fortissime, qui post belli meditamenta, post sæua Martis munia, totque militaria facinora, quibus hoc iuuentæ flore, magnorum Ducum gloriam, aut æquasti, aut supergressus es, hoc pacis Asylum, hæc Musarum tecta subire animum inducis, & inter adolescentium subsellia vmbratico doctori operam dare, atque vt olim Achilles, non in Gynecæo, sed in Gymnasio victrices manus cohibes, vegetumque illum, ac vere Martium spiritum comprimis, & in acie, ac Sole fortia facere solitus, in vmbra disputantem pati potes.

Itaque laudabunt alij maiores tuos, semper Italiæ principes, quique magnis legionibus, magnisque vrbibus diu imperitarunt, donec gens tua magnę fortunę casus experta, Venetę maiestatis pars fieret. Ferent alij laudibus Imperatoriam hanc indolem, animi pręstantiam, formam, ac fortitudinem egregiam, ingenium pręcellens: nos qui literas colimus quas ab humanitate appellarunt, quibus humanior sensus erat; nos inquam, quod tantopere in Germanico Tacitus commendauit, tuum ciuile ingenium, obuiam comitatem, conciliandęque hominum gratię, ac promerendi amoris, mirum & efficax studium, nunquam satis prędicare poterimus. Itaque quacunque in cedis flagrantissimis populorum studijs exciperis, teque vulgo Venetę Reip. decus, Italię amores, humani generis delicias verissimis vocibus appellant. Fuerit igitur huius ciuilitatis, ac comitatis grande argumentum, breuis acroasis tędium patienter ferre, quę omnibus ornamentis destituta, pręclare secum actū putabit, si aures pręconijs tritas, aridis ineptijs commodabis.

bis. Cum præcipuè de gladiatorio ſpectaculo dicturi ſimus, quod rei militaris ſimulachrum, atque imitamentum fuit.

IOANNI SVPERANTIO EQVITI ad Turcarum Imperatorem Exlegato.

VT te magnum Venetæ Reip. columen vix ſine lachrimis inſperato aſpicimus! Vt ex immaniſſimâ Turcicâ captiuitate, ipſiſque Orci faucibus ereptum vix credimus. Vt pene ſuperis inuidiam fecimus, ac fortunam conuicijs onerauimus, quod nobile hoc depoſitum, ac ſeculi decus barbaro in ſolo apud feras belluas deſtituerit. Ad huc nobis memoria præteritorum mens trepidat, torquentur viſcera, quoties infandum carcerem, Ottomanica aula anguſtiorem, catenas, ac compedes cogitamus, illumque inuictum animum omnis potentiæ contemptorem, non minis, non vinculis, non toties intentata morte ſubactum. Tibi vni initio tam dira tempeſtas incubuit, tu Veneta fata innoxio capite luiſti, tu quantum in te fuit non ſemel patriæ ſpiritum impendiſti. Diis aliter viſum eſt. Et nunc iam decennium non Troia, ſed Iouis patria oppugnatur. Sed hæc ſine luctu memorari non poſſunt.

Iuuat ergo reducis ora contueri, iſtamque nobilem maciem, ac feſtinatam canitiem, curis ingentibus approperatam ſenectam, placidamque maieſtatem venerari, ipſo fortunæ ſcelere gratiorem. Nec te patriæ tantum, ſed Muſis redditum gratulamur. Scimus enim, nullum apud barbaros ſecundum Reip. curam, niſi a libris ſolatium fuiſſe: per eos effectum, ne tibi captiuus viderêre. Iam liber, ac tui iuris, quidquid a publicis excubijs vacat, id totum ſtudijs impendis, & diem Curiæ addicis, noctis vigilias Turcici carceris reliquias, inter Tacitum, ac Senecam diuidis. Nil mirum igitur, ſi iſto horarum, non dierum ſeceſſu auditoria frequentas, & tunc minime otioſus es, cum otiaris, faſceſque laureatos

reatos Musarum foribus submittis. Ego quidem de te alias dicato opere apud posteros loquar: nunc apud te de communibus studijs verba facturo, precor eas aures præbeas, quales laudibus tuis eadem posteritas commodabit.

Præfatio ad disputationem de studio Græcarum Literarum.

Laudaui ego non semel hoc in loco Vrbesq; Regesque: Sed præter Venetam Remp. cuius gloriæ omnis nostra opera desudat: præter Reginarum Reginam, cuius laudibus vltimus Orbis strepit, hactenus totus hic labor haud ita feliciter cessit. Tam pronum est hoc seculo laudationes contemnere, quam laudem. Præcipue cum populis in experimentum ingenij blanditi sumus, gratia inter plures perijt, interdum pro gratia odium redditum est. Sed Regium est, cum bene feceris male audire.

Quare retro vel a dare constitui, stylum vertere, asperiora persequi, ac censoriam virgulam distringere. Non tam quod obtrectatio, ac liuor pronis auribus excipiuntur, quã quod amara pharmaca sunt saluberrima. Non est bonus, cui omnes boni videntur: nec laudem meretur, qui laudat omnes.

Quos autem mortales Oratio nostra impetet, ac duratura labe perfundet? in quos iusta indignatio detonabit? fœcunda culpæ secula: tantundem vitiorum, atque hominum. Fallaces amicitiæ, operta blanditijs odia, laudationis speciem sortita calumnia, falsi risus, pestifera comitas, & vt omnia vno verbo complectar, inter togatos latrocinia.

Sed parcite metu quicunque gratuita odia exercetis: etsi difficile est satyram non scribere, ita nati, ita instituti sumus, vt ne odisse quidem malos possimus, ac ne verbo quidem quenquam lædere, vel lacessiti animum inducamus.

Quorsum ergo tam inuidiosa declamatio? Est quoddam homi-

hominum genus, vt molliter dicam ineptum, qui nisi quod ipsi sciunt, scire alios putant, aut volunt. Hi literis ijs infensi sunt, quas ab humanitate appellarunt, qui maxime hominum proprias crediderunt. Eas despicatui habent. Græcè ac Latinè scire, rem plebeiam, ac grammatici subsellij esse contendunt: grauioribus scientijs prorsus inutiles esse dictitant, hoc est in sua barbarie delicias faciunt. Quos ego possem hodie merito perstringere, ac vobis deridédos propinare: sed naturæ meæ genius repugnat, etiam in eorum laudes effusus, a quibus nolim ipse laudari: tu ne in humanioris literaturæ laudatione, inhumanus appaream.

Itaque cum illis ciuili more experiar, & qualemcunque Græcis literis aduocationem commodabo. Sed videor mihi veluti præfica ad faciendum his studijs, quæ olim vixerunt lessum, canendasq; inferias trahi. Vt non tam me earum interpretem olim a Senatu constitutum putem, quam designatorem, ac pollinctorem, qui lugubri nęnia depositas ac conclamatas ad rogum prosequar.

Atque vt hinc porro lamentari occipiam. O Græciæ fatum infelix, quæ olim Asiæ regnatrix, atque Orbis oculus alter: scientiarum parens & altrix: bonarum artium conditrix, ac propagatrix, barbariæ lento collisa duello, attonsa, perpopulata, sub iugum missa, immanissimi Tyranni mancipium, ac ludibrium effecta, seruientium pars despicatissima, rerum humanarum spectaculum præbes. Cuius extremam laciniam, ac miseras reliquiarum reliquias barbarus prædo ad hanc diem expugnasset, euertisset, ac veluti spiritu diflasset, nisi Veneta res inaudita virtute, ac constantia iam quintum decimum annum furentis belluæ impetum retudisset. Absque ea foret, hodie Græciam in Græcia quæreremus. Quis talia fando temperet a lachrimis?

Quo Athenæ cessistis ipsius Græciæ Græcia: Musarum tēplum, ac Prytanæum? Vt sapientiæ Oracula defecerunt. At saltem hostilis furor intra tecta domosque stetisset, &

non excogitasset infanda rabies, quo pacto etiam ingenia iugularentur, ipsaque librorum æternitas interiret. Neq; hic malorum finis. Paucis quibusdam olim barbari Thracis immanitatem effugere datum est. Hi tanti naufragii reliquias per Europam traxêre. Extorres Italia excepit, tamq; liberaliter fouit, vt exilium patriæ desiderio facile anteferrent. Felix auorum memoria, cum Græciæ ruentis proceres, ex patriæ fumantis excidio, omnia bona sua, hoc est Græcarum disciplinarum thesauros Italiæ importarent, & cum Latinis antiqui hospitii tesseram renouarent, nec alio quam studiorum pretio inopiam propulsarent.

Hinc nemo ad Latinas literas animum adpellebat, quin prius Græcis imbueretur, tanta earum peritia, vt in Græcia nati viderentur: magnusque ille P. Bembus Latinarum, atque Etruscarum literarum sua ætate princeps, in Siciliam ad audiendum Lascarem nauigauerit. Paulatim inde socordia successit, idemque Græcarum, ac Latinarum literarum neglectus, donec ad hæc tempora ventum est, quibus Latinas literas scire res puerilis, ac ludimagistri opus, Græcas autem callere res stulta, laborisque vt magni, ita infructuosi, siue potius pœnitendi existimatur.

Quare licet me fabulam surdis, & cecinisse alias, & cantaturum hodie esse certo sciam, non tamen mihi, non muneri meo deero, quin breuiter ostendam, laborem qui Græcis literis impenditur, non modo non esse infrugiferum, quod isti prædicant, & inglorium, sed contra adeo esse necessarium, vt sine eo, non literas politiores, non aliam prorsus artem, ac disciplinam comparare possimus. Ita vt nemo vere eruditus, nemo Philosophus, nemo Medicus, Iurisconsultus nemo, demum nemo absolute Theologus, sine Græcarum literarum præsidio euadere possit.

Approbatio Libri cui titulus Monumenta Patauina.

Reuerendissimi Sacri Quæsitoris iussu Patauina Monumenta Sertorij Vrsati viri natalibus, ac virtute clarissimi attente perlegi. In quibus nihil occurrit, quod Religioni aç moribus fraudi esset: immo non pauca animaduerti, quibus sanus lector eruditior fieret, & melior. Multiplici doctrina pascere ingenium licet, ac per literatos lapides, saxisq; descriptos patriæ annales retroacta secula cum voluptate lustrare. Sed præceptis quoque salubribus, formare animum hæc Monumenta poterunt, tituloq; defungi.

Quanta eorum dementia, qui mortalitatis fecem, ac sordes marmore componunt, vt carius putrescant? Quanta vanitas sperantium posse hoc pacto prorogari nomen, ac memoriam sui in longum extendi? Quasi extincti cineres sepulchrorum ruina non cumulentur: quasi tumulos obducta tellus non sepeliat: quasi non moriantur & lapides, Quota pars reliquiarum veluti naufragii de iniuriis annorũ, ac temporum gulâ restat?


Truncus statuarum populus, fatiscentes tabularum crustæ, semesa columnarum frusta, cipporum fragmina minutatim expugnata, & quæ olim vias superbe prętexebant monumenta late agris disiecta, & obruta, aratris effossa, vt vere monumentum colatur, ruderibus excepta, atque ab ipsis Manibus reuulsa, situ, muscoque obsita, obliterata, oblimata, magnarum arborum stirpibus diffissa, trita rotarum orbitis, rursus veluti in ludibrium fundamentis reddita, suggrundiorum stillicidiis, fluminum marginibus, viarum stratis, vrbium purgamentis destinata, alieno sepulchro adstituta, translata toties errantibus vmbris, & iactata.

Nulli pedes in frontem, nulli retro, nusquam ambitus, & maceria: nihil sacri, & religiosi. Quota inquam pars de In-

Infernis his sedibus superest? Quæ restat, cuius est? Cassa nomina, ignoti in patria tituli, peregrina inscriptio. Qui il- la posuerunt ignorantur. Ite nunc & sepulchris fidite, quo- rum spectatis funera. Perituris condimur. Mors tandem & tumulos æquat. Hæc qui reputauerit, multum huic libro, multum sibi debebit.



Infernis his sedibus superest? Quae restat, cuius est? Cũcta nomina, ignoti in patria tituli, peregrina inscriptio. Quil-la posuerunt ignorantur. Ite nunc & sepulchris fidite, quorum spectatis funera. Pectoris condimur. Mors eandem & tumulos aequat. Haec qui reputauerit, multum huic libro, multum sibi debebit.



OCTAVII FERRARII
INSCRIPTIONVM
Pars Altera.

110

LVDOVICO XIV
A victorijs & triumphis regnum auspicante
Anna Austriaca
Castrorum matre,
Imperij rudimenta tuente.
Iulius Cardinalis Mazarinus
Consiliorum Intimus
Inter bellorum meditamenta
Ingens pacis opus Bibliothecam dicando
Collecta vndique Volumina rempublicam
Fecit.
Vt inter Regias Laurus
Serpentibus hederis
Gallica virtus quæ toto Orbe
Victricia arma diu circumferret
Ne ab gente vlla literarum gloria
Vinceretur.
Anno Domini MDCXLVIII.

Nicolao Mocenigo
Artium ac disciplinarum
Fautori generosissimo
Quod dignationem quam a literis accepit
Cumu-

Cumulatiorem ijsdem refuderit
Et ex ſapientiæ contubernio
Mitem animum, ac noxis placabilem
Retulerit
Nec ferro aut igne
Sed molli manu
Publicæ rei vulnera curauerit
Artium & Medicinæ ſtudioſi
Regnandi artibus ad exemplum inſtructo
Et ſalutari P.P.
Anno MDCL.

Nicolao Mocenigo
Principalis fortunæ paratu
Cunctorum munificentiam ſupergreſſo
Quod ex omni regnantium inſtrumento
Solam clementiam ac manſuetudinem
Deprompſerit
Summumque Ius arbitratus
Aliquid de Iure decedere
Amari maluerit, quam metui
Iuris ſtudioſa Iuuentus
Non vno indulgentię exemplo
Obſtricta
Parenti Mitiſſimo
Hoc pietatis ac venerationis M.P.
Anno MDCL.

Ioanni Grimano D. Marci Proc.
Antonij Proc. F. duorum Procuratorum Fratri
Qui incertum facundia an consilio maior
Visu atque auditu venerabilis
Post Legationem ad Cæsarem
Omnium quas Sol viderit splendidissimam
Vrbis Præfectus hoc veluti secessu
In altitudinem consiliorum conditus
Ædium cultu ac stipatu magnos Reges prouocans
Mansuetudine ac facilitate populis immixtus
Imperium ac libertatem miscuit
Themidis Sacerdotes
Summo Iustitiæ vindici Posuêre.

Diua potens Maris
Edita Mari Virgo
Vbi in Ioanne Grimano
Omnia Regia aspexit
Regiam formam totiusque corporis dignitatem
Imperio dignam
Cultum ac paratum principalem
Opes priuatum censum supergressas
Parem opibus munificentiam
Eloquentiam & gratiam
Non liberæ modo Vrbis arbitram
Sed ipsorum Regum ac Cæsarum potentem

Literarum cultum ac patrocinium
Plane Regium
Sacrum Libertatis Numen
Sibi anxiè metuisset
Nisi hæc omnia
Non modo in æquum deducta
Sed infra ciuem deiecta vidisset
Nihil eminens præter virtutem
Atq; æquitatis amorem
Quare esto inquit
Quod parens fratresq; fuerunt
Triplexq; titulus
Raro ac forte vnico exemplo
Penates impleat
Vnde ad supremum est gradus
Cunctis minorem se gerere
Id demum Imperium est.

ALOYSIO MOLINO PRÆTORI

Qui cum Vrbem cędibus cruentam nocturnis insultibus intutam penuria ac fame propè obsessam inuenisset incredibili virtute ac peruigili semper cura post sæuam latrocinationem repressam atq; adhibita iuuenilibus animis fomenta vt pacem pati vellent annonæ rerumq; omnium affluentiam aduersus anni sterilitatem fundosq; menda-

mendaces inuexit & pro corrupto ac perdito Vrbis statu optimum ac felicissimum longo etiam in posterum prouisu induxit.

Iuris studiosi Musarum ac Ciuium
Sospitatori P. P.
MDCLI.

ALOYSII MOLINI

OS humerosq; & verendam populis Cæsariem gratum pondus supercilij frontisq; honores adspicis quos semel vidisse non est satis quales habuisse Iouem Phidias credidit sed serenum. Qui simul Patauino Cœlo fulsêre non dira modo tempestas & scelerum nox discussa est atq; impij fratres sine fulmine matri redditi sed de toto nutricis vertice profusa vbertas & ipsæ Musæ tot annorum cladibus trepidæ ac fugientes pacatis sedibus quod nemo fieri posse crediderat restitutæ sunt.

Aquila Germanica inter lætantes olores geminum caput proclinans pro fulmine frondem fulminis nesciam ministrat. MDCLI.

SEBASTIANI MICHAELIS

OS probum vultusq; semper serenos nec vnquam

tristes nisi cum benemerendi occasio sublata esset Iuris studiosi marmore sacrarunt vitæ imaginem mentis templo dicatam sola veneratione complexi.

Anno MDCLII.

SEBASTIANO MICHAELI

Vrbis morumq; Pręfecto vigilantissimo quod inusitato mentis vigore purgata latrocinijs Vrbe ciuibus ac Musis pacem præstiterit fidam ac duraturam auctisq; in nullis noxam vectigalibus Gymnasij ærarium subleuarit.

Sapientiæ cultores eius sacro vultu
Iustitiæ ac generositatis simulachrum
Posuêre.
Anno MDCLII.

LAVRENTIO DELPHINO PRÆTORI

Quod vbere annona etiam anni sequentis iniurias discusserit, miroq; seueritatis ac mansuetudinis temperamento labentem morum disciplinam fulserit demum ad trium Insularum regimẽ euocatus plus præstiterit quam pollicitus sit Vrbis decreto.

Qui honos antea contigit nemini
Quatuor Viri P. C.
MDCIIL.

GVSTA-

GVSTAVVS ADAMVS BANNER

Magni Suecicarum copiarum Imperatoris magnum incrementum cum regnandi artes a contubernio ſapientiæ peteret ne vnquam priuatus eſſet Gymnaſium regere iuſſus ita imperauit quaſi diu paruiſſet ita pace vſus eſt vt ſummi Ducis augurium expleuerit. Iuris ſtudioſi.

P. P.

Hoc frontis honore placidoq; fulgore luminum ac promiſſa cæſarie auide populis ſpectabatur Guſtauus Adamus Banner cum a parentis fortiſſimi Imperatoris trophæis recens Patauini Gymnaſij regimen capeſſeret, & laureatis vtrimq; faſcibus in complexu Muſarum Imperatoriç indolis flos in ſpem non vnius triumphi aſſurgeret.

Natio Germanica Martis ac Muſarum alumno Patri militaris, Filio literariç gloriç reparatori Feliciſſimo. M.P.

ANDREÆ ZANINO PROR ECT.

Cui obſingularem dexteritatem atq; eximium ſplendorem Theologi Philoſophi & Medicorum ordo ſtatuā decreuit Ille altitudine animi grauiſſimo iudicio conten-

tus

tus inania transmisit sequente eum gloria quam fugerat hoc vno statuam promeritus.

Anno MDCLI.

Purpuratorum Eminentissime
Duo ex CORNELIA gente
Alter Africam alter Asiam
Victorijs ac cognomento complexus
Tertius hoc ipso maior
Quod mortalium optimus habitus est
Solusq; ex illo Regum consessu
Dignus visus cuius hospitio
Peregrina Numina exciperentur
Reliqui Romani ac Veneti Imperij proceres
Religionis ac libertatis custodes acerrimi
Cyprijs sceptris
Atq; Æneadum genetricis sacrario
Aucta maiestate
Tibi purpuram rerumq; summam
Auspicati sunt
Vt Regium Senatorium Pontificale ostrum
Vnius fronte renideret
Neque hæc humani generis votorum summa,
FEDERICE CORNELI
Roma edite Venetis addite
Quiritibus reddite

Diuos aucture
Interim Romana sacra capesse
Fessisi rebus subueni
Vt Orbis
Non per partes triumphati
Sed tua virtute conseruati decus
Corneliæ gentis titulis accedat.

ANDREAS PISANVS PRÆTOR

Visu atq; auditu iuxta venerabilis cum miro seueritatis ac mansuetudinis temperamento res olim difficillimas Imperium ac libertatem miscuisset eos amoris ac venerationis fructus tulit vt festæ pacis atq; annonæ memoria hîc omnium gratulatione spectetur quo discedente nemo lachrimas tenuit.

Iuris studiosi P. P.
MDCLIII.

ANDREAM PISANVM PRÆT.

Gymnasij columen ingens sed breue publicæ felicitatis bonum vbi vix sibi ostensum abripi viderunt sapientię cultores vt aliqua ratione perpetuum redderent eius effigiem

giem vice speculi sacrarunt in quod qui regnant quique regnantur non sine fructu intuerentur.

Anno MDCLIII.

SEBASTIANI IVSTINIANI PRÆF.

Simulachrum quod paupere saxo
Aureæ Virginis cultores posuerunt
Si fortuna votis respondisset
Stare aureum iussissent
Quando ille duro seculo aureos mores induxit
Auriq; animosus contemptor
Vili rerum annona
Soli virtuti ac literis
Pretium posuit.
Anno MDCLII.

SEBASTIANI IVSTINIANI

Venerabilis species
Et quidquid spectandum posteris tradi potest
Hic oculos rapit
Quæ pingi non possunt meliora puta
Horum ductu ac lineamentis

Qualia

Qualia sint conijcito
Ingens animus pulcherrime habitat
Liberalium artium sectatores P.P.
MDCLIII.

Conclaue hoc Regium gentis Capellæ magnificentia extructum Patauini Gymnasij annuis magistratibus legendis Comitium Iustitiæ sacrarium cum Deæ ipsius simulachro Iuris sacerdotes augustius reddere decreuissent NICOLAI CAPELLI Præfecti incomparabilis vultibus expresserunt.

Anno MDCLIIII.

Vt olim Romana Curia solam Censorij Catonis effigiem recepit Philosophantium in hac Vrbe coetus vnam NICOLAI CAPELLI imaginem placida oris maiestate serenam sacrauit hocq; illi Comitium instar atrij esse voluit Par vtriusq; virtus nisi quod hic mitior & a nullo vnquam accusatus est.

Anno MDCLIV.

Francisci Ignatij Thirmairij Prorectoris

Magiſtratu abeuntis vt deſiderium mitius ferret Academia Patauina eius indefeſſo ac pertinaci labore in priſtinum ſplendorem ac libertatem aſſerta Imaginem ære duci iuſſit excelſi prouidiq; animi ſimulachrum in quod futuri Prorectores inſpicerent ad quod conſilia actuſque ſuos exigerent.

Mediolani in templo Dominicanorum.

Chriſtiani Orbis vota
Vt Catholicæ rei columen ac titulus
Philippus IV Rex veſter
Penates prole humanum genus ſpe
Fœcundet
Suſcipite Ciues.
D. Dominicus Auguſtæ domui innexus
Numen exorabit
Vt cum Principe Auſtriaco
Feſta pax exoriatur.

Thra-

THRASEÆ POETO PATAVINO

Quem vnum Nero timuit cum omnes Neronem metuerent Cui ante quam crudeles manus admoueret optimum virum fassus est propter quod illum interficiebat quo violato ipsam exscidisse sapientiam creditus est.

Tanti viri memoriam nullo publico testimonio insignem priuato recoluit lare A. N.

ALOYSIO PRIOLO.

Paternæ venerationis titulum promerito
Quod submotis peccandi causis
Leuiores lapsus atque ætatis licentiam
Clementer æstimarit
Et in pudoris notam supplicio conuerso
Suffundere maluerit iuuentutis sanguinem
Quàm effundere
Artium studiosi
Summo regnandi artifici
Effigiem sacrarunt.

ANGELO CORRARIO PRÆTORI

Qui Veneto Cœlo delapsus populis quoscunque adiit beneficus ac salutaris, his etiam terris vsura breui commodatus, mansuetudine, celeritate, & consilij præstantia nominis augurium impleuit: hoc etiam quod in ipso rerum ingentium molimine euocatus est vt pacis ac felicitatis Internuntius Romanum orbem collustraret.

Literæ ac disciplinæ

Cyllenium sidus sibi modo ostensum beneficijs præsens adorant, atque erepti desiderium augusta imagine solantur. Anno MDCLVI.

BERGOMI.

NICOLAO VENERIO
Prætori Incomparabili

Qui sic Ciues dilexit vt nihil facilitas Iustitiæ sic eum populus amauit vt nihil affectus venerationi detraxerit. Antelaus Placentinus sacras eius vices gerens contubernio beatus nec tam Magistratus Optio quam testis tanti ducis vestigia quæ premere non potuit hoc monumento adorat. Anno MDCLVI.

Ioan-

Ioannes Auſtriacus minor
Tot Cæſarum Regumq; ſanguis
Cum ab Hiſpanicis atq; Italicis trophæis recens
In Belgium ad ingens nomen
Capeſſendum properaret
Hæc tecta magnus hoſpes impleuit
Priuatumque larem
Non tam rerum fulgore
Quam Regia comitate ſacrauit
Franciſcus & Io: Baptiſta Lauri
Rato victoriarum omine
M. Poſuêre.

Cape animos Dalmatia mœrens
Culti Orbis limes Italiæ Mœnia
Si tota virium mole Ottomannus incumbit
Nouuſque e Thracia turbo circumtonat
Certa ſalus adeſt
Antonius Bernardus
Qui publicos hoſtes toto æquore cęcidit
Irrentem barbariem ſiſtet
Nouuſq; Leonida
Chriſtiani Orbis clauſtra tuebitur.
Facile hoſtem ſuperat
Qui ſe ipſum vincens
De vitijs & cupiditatibus triumphat.

In hac ſcribentium turba nouaque ſubinde ſuboleſcente Iuris reſponſorum, & Conſiliorum ſilua, vt voluminum naſcentium, ac pereuntium numero, & mole laboret, ac penè fatiſcat Iuris prudentia, nomen ſuum non vulgo modo eximere ſed ſeculorum memoriæ inſerere potens eſt Mercurialis Merlinus Foroiulienſis. Ea eſt ſcribentis grauitas, tanta Iudicij præſtantia, atque exaggerata ſolidioris doctrinæ facultas, is præterea ordo, ac facilitas, vt in eum tanquam in Oraculum veterum prudentia immigraſſe videatur.

Vix credi poteſt, quibus ſtudiis quoque plauſu tractatio de Legitima excepta ſit, nouiſque typis non ſemel vulgata, doctrina, atque admiratione Orbem repleuerit. Eam ſubſequitur de Hypotheca Opus eximium, ſatis iam celebre auctoris nomen ad gloriæ faſtigium perducturum. Magno vtique famæ incremento, quando Iuriſprudentiæ laus, familiæ huius peculiaris, ac gentile bonum viſum eſt. Si quidem parens eius ſummi Iuris conſulti nomen præſertim in Lucenſi Rota conſecutus eſt. Clemens autem Merlinus eius patruelis in Romana luce, rerum humanarum arbitrę, ac diſpenſatrici Rotæ adſtitutus ſanctioris Themidis ſacrarium illuſtraſſe viſus eſt, nec aliunde certiora reſponſa Orbis aut petijt, aut ſperauit. Dignus tanto patruele mercurialis. Dignus vterque, a quibus Principes Iuſtitiam diſcant, in quibus augendis, atq; exornandis Iuſtitiam doceant.

In

In horti publici vestibulo Patauij.

ANGELO MARCELLO

Quod Musarum vireta siluescentia interlucauerit atq; arescentibus herbis castalios latices induxerit nudisq; stirpibus florum coronamenta naturæ mundum adiecerit.

Quo tempore Vrbis Præfectus eradicato omnis hostilitatis aconito paciferas oleas lauris triumphalibus inserebat. N. B. M. P.

In aula Episcopali Patauij

Ecclesiæ Patauinæ fastos, sacras Pontificum effigies vetustate non semel victas Federicus Cardinalis Cornelius restituit: easdem situ corruptas, atq; euanescentes Georgius Cornelius patrui magni virtutum ac gloriæ æmulator, vt Antistitum populus Atrium maiestate sua dignum incoleret, absterso squalore in pristinum nitorem redigi curauit.

Hoc

Hoc militari aspectu cultuq; ciuilis imperij insignibus radiante spectantium oculos rapiebat Aloysius Mocenicus incertum bello an pace clarior cum a Turcicis trophæis recens in Vrbe studiorum altrice Ottomannicas manubias Musis consecraret fessisq; rebus subueniens fouendis ingenijs laudem fœneraret. Iuris studiosa iuuentus suum cuiq; decus rependens sacros vultus quàm publicis hostibus formidatos tam clementiæ fulgore coruscos æternum grati animi monumentum statuit.

Anno MDCLVIII.

MARIONO MARIONIO

Veronensi Prorectori.

Qui Gymnasij gubernacula subire coactus nulli tempestati animum submisit fideq; ac munificentia cum ærarij rationibus tum famę consuluit cuius merito Iuris studiosorum consensu decretam statuam pari moderatione deprecatus est. Sed sicut fasces inuito delati ita reluctanti summus hic honos nouis suffragijs sancitus.

Adeo spreta in tempore gloria cumulatior redit.

MARIO-

MARIONO MARIONIO

Prorectori Nobilißimo

Quod publici census tenax priuati profusus non æs modo alienum ingens dissoluerit, sed Gymnasij ærariũ locupletauerit quodque alterum sanctius ærarium iura, atque immunitates acri custodia tutatus sit. Iuris studiosi B. M. P.

Anno MDCLVIII.

IOANNI PISAVRO

Cui fortunæ amplitudo nihil plus contulit quam vt prodesse mortalibus tantundem vellet & posset. Quod hanc Martis palæstram Phrygios penates perpetuo complexus de Venetæ rei fastigio benefico lumine perfuderit, & inter principatus curas adsciuerit. Equestris ordo eius effigie Honoris templum augustius reddidit.

Tergeste in aduentu Leopoldi Imperatoris

Dii te seruent Leopolde Auguste
Tot Regum Cæsarumq; sanguis
Domus illius germen & columen
Quæ vtrumque Solis cubile ditione complectitur
Exorere noue Titan caliganti mundo exorere
Et ceteris sideribus lucem fęnerato
Thraciam Lunam sanguineo cornu rubentem
Obscura, & fuga
Quibus imaginibus onereris
Quæ nomina sustineas & quanta intelligis
Tergestini
Quod Coloniam Iubaris exortu beaueris
Teque de proximo adorari permiseris
Venerationis ac fidei
M. P.

EPITAPHIA

DOMINICO CONTARENO

Magnitudine animi & rerum geſtarum gloria nemini ſecundo. Nam per omnes continentis Vrbes ſummo magiſtratu functus iterum claſſis Præfectus ac Venetarum copiarum tertio Legatus Imperatori Liuiano ad ferox & præferuidum viri ingenium mitigandum a Senatu additus memorabili ad Melenianum Gallorum cum Heluetijs nocturno prælio diu dubitantem quo inclinaret fortunam interuentu ſuo ad Gallos tranſtulit Regemque fortiſſimum imminenti captiuitate liberauit ob id regio liliorum inſigni donatus. Demum recepta Rhodigio fugatis ad portum Naonis Germanis Patauio mœnibus ac propugnaculis ſepta anguſtos æui ampliſſimos gloriæ ac virtutis terminos ſtatuit.

Angelus Eques D. M. Proc. & Dominicus fratris
abnepotes quod ille teſtamento iuſſerat
P. C.

FRANCISCO MAVROCENO PATRI

Spectatæ virtutis ac conſilij Senatori qui poſt Cretæ regimen celſiorum onerariarum præfectus fuſis ac fugatis hoſtibus Corcyræ anno ſcalari ſupremum diem obijt Chriſti nati MDCXVIII.

Tho-

Thomæ Fratri

Excelſi inuictique animi viro qui earundem nauium cum ſummo imperio ductor poſt obſeſſam ad Helleſpõti fauces Turcicam claſſem dum elapſam Cretæ finibus auertere ſtudet caſu in mediam ſola prætoria delatus circumfuſam barbariem non diu modo ſuſtinuit ac repulit ſed late edita mortalium ac nauigiorum ſtrage ipſo purpurato interfecto inter promptiſſimos dimicans Deo ac patriæ ſpiritum impendit

Anno MDCXLVII

Bernardus Maurocenus
Eidem in imperio ſuffectus
P. C.

FRANCISCO PVTEO

Cauſarum & literarum patrono incomparabili. Qui ingentes opes honeſte partas fouendis ingeniis atq; erudito luxu profundens incertum ſtatuit melius ne dixerit an fecerit, moriens nihil præter gloriam reliquit.

Amici collato ære poſuere.

Hie-

HIERONYMVS LANDVS EQVES.

Præmaturis honoribus præcipuè Anglica Legatione ac Patauina Prætura auctus quamuis omni officio ac pietate contenderit, vt concordia auito gentis bono penates firmaret, domestica dissidia effugere non potuit quibus diu implicitus addictam patriæ operam abrumpere coactus est donec Deo vindice causa potitus fessus rerum hanc quietis sedem viuens optauit.

HIERONYMO CAOTORTÆ

Qui in hoc Libertatis ac gloriæ domicilio
Omnibus parendi, atq; imperandi artibus
Instructissimus incertum reliquit
Maiori ne fide publicas curas
An modestia rem priuatam ordinarit
Priscæ grauitatis, atque comitatis temperamento
Omnium studia promeritus
Summos in patria honores consecutus est
Quia primos Deo semper detulit.
Paulus & Michael Parenti Optimo
P. C.

JVLIO IORDANO PISAVRENSI

Camilli I. C. filio qui magnæ fortunæ artibus innutritus ab aula Ferdinandi I Medicei in qua iuuentæ tyrocinium posuerat ab Francisco Maria II. Vrbinatium Duce euocatus viuidum animum maximisque negotijs parem attulit fideique ac prudentiæ præclarus flagrantissima apud herum gratia Legationes ad duos Pontifices Maximos Venetamque Remp. & Bauariæ Ducem peregit. Mox nuptiarum inter Federicum postremum Vrbini Ducem, & Claudiam Cosmi II. Magni Ducis sororem sequester, deducendæ nouæ nuptæ electus inoffenso honorum gradu placidissime consenuit atque octogenario maior hoc lætus decessit, quod extinctæ Vrbinatium Ducum stirpi, & collapsæ Rouereę domui non superfuit.

Hieronymus Iordanus auo optimo P. C.

IOANNI BAPTISTÆ GRIMANO D. M. PR.

Antonij Proc. F. Duorum Procuratorum Fratri.

Qui ardente Ottomannico bello post trium Insularū regimen Venetæ classis Legatus, mox Imperator insolita-

ta animi firmitudine non minùs aduersus hostem immanissimum, quam corruptam naualem disciplinam, marisque ac ventorum sæuitiam depugnans, ruptorem fœderũ Christiano Orbi exitium minitantem vinci posse, non vnâ clade docuit, victriciaque arma toto Ægæo circumferens dum ipsi Bizantio imminet, atque Hellesponti faucibus intercludere hostem parat nocturna procella obrutus pulcherrimum esse ostendit vitam pro patria pacisci.

Franciscus D. M. Proc. Fratri B. M. P.

IN EXEQVIIS SCIPIONIS P. AP. AF. AVÆ
Magni Meßanæ Primatis

Non omnia mors æquat
Virtus distinguit & funera
Supremi honores sinceriores sunt
Quominus sentiuntur
Vestra interest O ciues
Plures sic defleri
Qui viuus nulli lachrymas coegit
Veras decedens non impudenter postulat
Sic vos raro
Vos vestri lugeant serò.

Petrus

PETRVS CARDINALIS VALERIVS
Patauinus Episcopus

Hoc sacellum Familiæ Zabarellarum gentilitium testamento funditus refici iussit, ac magnificentius extrui præterea ad rem diuinam per plures sacerdotes obeundam sumptum suppeditari. Collegium Canonicorum quibus cum hæreditate ea procuratio obuenit vetere cella diruta ad Odæi fastigium perducta testudine Aræ suggestu altius subuecto signis atque opere coronario nouam hanc molem templi maiestate ac testatoris animo dignam excitarunt.

Anno MDCLI.

H. S. E.

Ioannes Baptista Soncinus Coruinus
Brixiæ summo loco natus
Qui bonarum literarum cultu
Atque elegantioris vitæ paratu
Medicinæ quam Patauij inter primos

Pisis in summa sede sine æmulo professus est
Dignationem addidisse creditus est
Præter acre ingenium cuicumque negotio par
Fuit illi insignis comitas moresque suauissimi
Tum conciliandæ gratiæ ac promerendi fauoris
Mirum & efficax studium
Intra sextum & quadragesimum annum
Cum ad maiora vocaretur extinctus est.
Q. Fabius parens
Viuacis senectæ
Quàm vltra octogesimum extendit pertæsus
Virginius Frater ex Collegio Iudicum Brixiæ
Quod accipere debuerant
Posuerunt.

JOANNI VESLINGIO MINDANO

Naturæ verique scrutatori solertissimo qui sapientiæ atque exoticarum stirpium studio Ægypto ac Siria peragrata ab Veneto Senatu rei herbariç & corporum sectioni præfectus eum Latinitatis & Græcæ eruditionis cultum mutis artibus circumfudit vt illic naturæ ludentis pompam æmularetur hic spectaculi diritatem orationis dulcedine deleniret vt quantum oculi paterentur tantum sibi aures placerent. Demum laboribus fractus dum

dum miseræ plebi gratuitam operam præstat noxio contactu vitam publicæ saluti impendit.

Io. Pueppa Socero B. M. P.
Anno MDCLV.

AVRELIO ZABARELLÆ

Corporis animique dotibus ornatissimo
Forma ac fortitudine egregia
Virtutis causa
Ab Serenissimo Mutinæ Duce
Cataphractorum alæ præfecto
In ipso magnarum rerum apparatu
Fatis properantibus rapto
Creusa Zabarella vxor mœstissima
P.

HIERONYMO LEGNANO MEDIOLANENSI

Viro ac ciui optimo in multis magnisque publicæ rei calamitatibus spectato sapientiæ studiis atque altitudine consiliorum amplissimum in vrbe locum adepto in Le-

gatione ad Regem Maximum pro patria extra patriam supremum diem functo

Decuriones immunitate posteris eius data hoc inani sepulchro solidæ virtutis monumentum Posuere.

ANTONIO GAMBARÆ

Ciui Patauino qui medicinam quæ in actione octodecim annos eam quæ in cognitione consistit adusque vitæ exitum professus est magno audientium quos solida doctrina ac perspicuitate tenebat fructu. Ita cum tradendis præceptis, tum procerum curæ admotus crebris ac felicibus experimentis eximiam laudem nactus est non artis imperio tristis atque asper sed morum elegantia & quadam naturæ suauitate & liberali conuictu præcipuè egenæ plebis cura quod rarum est etiam extra ministerium Medicus gratiosus.

Venetijs in Comitio sub effigie Francisci Molini Ducis.

Cum rempublicam exitiali bello concussam pietatis ac iustitiæ commendatione accepissem, sæuienti fortunæ

næ inuictum animi robur atque optimam ſpem oppoſui, luctuoſiſſimæ tempeſtatis exitum videre merui magis quam potui.

HIERONYMO IVSTINIANO

Qui cum ab ipſa iuuenta apud Batauos Regeſq; Gallum, atq; Hiſpanum, tum Cæſarem atq; Pontificem nuſquam intermiſſo munere Remp. procuraſſet, animi vigore præſtantiſſimus, maximis & difficillimis negotijs vt triſtiſſima tempora ferebant par, Principes quoſcumq; adijt dexteritatis & facundiæ admiratione ita cæpit, vt incertum ſit vtrum illis acceptior an patriæ vtilior fuerit. Demum dum in animo Pontificis in Vrbis oculis eſſet fato properante raptus in opere vitam poſuit. Franciſcus & Daniel Fratres mœſtiſſimi.

P. P.

Anno MDCLVI.

ANGELO CONTARENO EQVITI D. M. *Procuratori.*

Cuius ætatem ab ipſa iuuenta honoribus Reſp. antei-

uit

uit ille rebus gerendis honores præcessit. Nam post vrbanos magistratus ad omnesfere Principes ac Reges Venetam maiestatem legatus circumtulit. Primo in Galliam, inde adita extra ordinem Brittania, transiit Romam ad Vrbanum VIII. Post Brixiæ Prætor sæuiente pestilentia non luem modo sed latrocinationem alteram prouinciæ pestem compressit. Præturam non vna extraordinaria legatio excepit. Ad Cæsarem in Germaniam, ad Pontificem iterum ob Italicos motus, tum in Galliam ob Reginę purperium gratulatum missus, vt tertio demum Romæ apud Innocentium X. tot expeditionibus magnum diem imponeret. Patriæq; redditus ne qua pars Reip. vacaret Gymnasij Patauini tertium moderator literas ac disciplinas refoueret.

Obijt anno MDCLII.

GEORGIO STVZZIO GERMANO
Viro fortißimo.

Qui ab infimo manipularium ordine
Summos militiæ gradus emensus
Equitum loricatorum Tribunus
Strenuam viginti annorum
Cæsari in Germania
Totidem Catholico Regi in Italia

Grauissimis bellis atq; expeditionibus
Operam præstitit.
Inter primos æui bellatores magnarum victoriarum
Instrumentum habitus
Sexagenario maior pleuritide extinctus est.
Regina Polyxena Domina in Pochem
Vnico nato infante, senis animula,
In spem paternæ laudis assurgente
Lucis inuisæ tædium ferens
Marito desideratissimo
Æternum virtutis eius suiq; mœroris
M. P.

H. S. E. Cozza Cottius Archipresbyter atq; Interpontificio iterum Proepiscopus. Magnitudine animi, solertia, vitaq; per omnes actus & facundia admirabili muneris maiestati, tantæq; gloriæ par. Nec in luce modo atq; oculis ciuium magnus, sed intus domiq; omni literatura, indefesso patriæ antiquitatis studio cultuq; ingeniorum præstantior, vt septuagenarij mors acerba omnibus visa, solaq; immortalitatis fide viri desiderium lenitum sit. Antonius Cottius Patruo B. M. P.

Vt quos in Beatum Gaietanum & pietas veneratio

coniun-


coniunxit, ac diuinæ opis fiducia hùc frequentes coegit, ne vnquam a cultu abſcederent, hunc locum exuendæ mortalitati ante Diui ora in ſummum ſeculi diem delegerunt.


Gaſpari Muſcha nobili Germano, præſtantis animi Iuueni auorum titulis nouum decus addituro niſi ad ſummam Medicæ facultatis laudem ſtrenue properantem importuna mors abſtuliſſet, atq; Apollinarem lauream quam Bononiæ reportauerat, immaturo funere vertiſſet N. amico benemerenti.


P.


Viuens fecit
Io: a Stetten vt ſupremæ quietis imagine frueretur
Quam ſibi præſtat, qui occupat
Ouum aliunde, & ſi cito venit, ſera eſt.

FJNJS.










1.7.89

- controllo collazione;
- restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502,508, e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres



1.7.89



- controllo collazione;
- restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502,508, e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- loose guard in carta giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 3 nervi di canapa singoli: fili di lino inglese, corde di pura canapa a 8 capi;
- preparazione piatti: cartone fibrato nel verso, cartoncino LC Fabriano; scarnitura dei cartoni a smussare gli spigoli ed agevolare lo snodo;
- incartonatura: foratura con punteruolo, secondo ordine di fori sfalsato verso il piede; scodelle eseguite con sgorbia; infilatura nervi;
- passaggio in colla del dorso: Tylose MH300p rimossa a spugna;
- stondatura del dorso;
- capitelli base naturali passanti al centro fascicoli e sotto catenella: anima in canapa, fili lino inglese ritorto;
- capitelli ornati: cuciti su capitelli base in cotone ritorto fiorentino, doppi;
- indorsatura: caselle in carta giapponese Vang 517, adese al dorso con Tylose MH300p 6%; caselle in cuoio naturale adeguatamente scarnito, adese su giapponese;
- preparazione della pelle: scarnitura a coltello di bordi e cuffie; pelle di capra a concia mista;
- copertura: adesione della pelle preparata con TyloseMH 300p;
- staffilatura dei nervi;
- compensazione dei contropiatti al rimbocco della pelle con cartoncino LCFabriano;
- incassatura delle controguardie a piatti aperti: Tylose MH300p al 6%

luglio 1998

005644483
005644482